

HIERONYMI LAGOMARSINII

E SOCIETATE JESU

ORATIONES SEPTEM.

EDITIO SEXTA

Retractatior & auctior.

ACCEDIT EPISTOLA

SEMEL JAM EDITA,

Qua, quid in M. Tullii Ciceronis contra L. Pisonem oratione interciderit, demonstratur.

Ex libris Bibl: S. Mariae in Porticu in Campitello





ROMÆ MDCCLIII.

TYPIS GENEROSI SALOMONI
IN FORO S. IGNATII.
PRÆSIDUM PERMISSU.

CLEMENTI ARGENVILLIERS S. R. E. CARDINALI



HIERONYMUS LAGOMARSINIUS SOC. J. S. D.



FACILITAS & humanitas singularis tua, CLEMENS CARDINALIS AMPLISSIME, facit, ut a te majorem in modum atque in summi beneficii loco petere audeam, primum, ut me sinas honorem tibi istum, quo recens a BENEDICTO XIV. Pont. Max. auctus es, gratulari, deinde, ut gratulationis hujus meæ aliquod apud posteritatem exstare monumentum patiare. Possum equidem, te inconsulto, vel etiam invito ac repugnante, de tuis

commodis gaudere, quod facio: gaudium vero hoc meum tibi publice testificari, quod facere incredibiliter gestio, tum etiam posteritati publicis litteris prodere, nisi a te prius impetraro, certe non debeo. alterum enim nimis familiare esset, alterum paullo fortasse ambitiosius videretur.

Ac gratulatio quidem mea paucissimis definietur transigeturque verbis, si dixero, Mirifice atque immortaliter gaudere me, non quod Cardinalis es factus, sed quod ita factus es, ut dignissimus esses, qui fieres. Itaque in tanta ac tam sapiente civitate nemo inventus est, cui inopinatus atque improvisus iste tuus honor acciderit: neque tantam lætitiam is, ad te delatus, attulit, quantam, tibi non dicam ereptus, sed vel dilatus, admirationem hominibus attulisset. Sed qui potuit, BENEDICTO XIV. summo sacrorum antistite, & reipublicæ munia ac beneficia, non tam pro potestate atque imperio, quam pro justitia atque æquitate, dispen-

sente, qui potuit, inquam, ad te non deferri? Quam ipse viam honorum adipiscendorum in omni vita sua tenuit, eamdem tibi patere voluit, meritum ac dignitatem. Honorem ille nec ad indignum deferre, nec ad dignum non deferre potuisset: neque eum tibi se ut beneficium tribuere, sed ut debitum persolvere existimavit. In quo ipso tibi plus dedit, quam si nullo tuo merito ac tamquam gratis dedisset. cum honore enim judicium de te suum, quod ipso honore est multo potius, ac testimonium honorificentissimum dedit. Tu vero plus illi etiam eo ipso nomine debes. quum enim omnibus & consiliis & actionibus tuis id semper spectasses, ut fidem & integritatem tuam Principi tuo probares, neque ut ille te ullis præmiis afficeret, sed ut dignum, qui maximis afficereris, judicare deberet: non modo illa ipsa præmia ab eo, sed illud, quod unice concupisti, judicium de te suum, hoc est, præmium omnium amplissi-

ſimum, adeptus es. Ergo & ab illo tantum in te profectum eſt, quantum proficiſci potuit; & tu non potes plus illi debere, quam debes: neque immerito nunc demum tibi non tam honoris iſtius inſignibus ornatus, quam ipſo honore, ſiquidem tantum judicium acceſſit, auctus videris. Neque vero aliter ſentiunt, qui recte ſentiunt. is enim verus ac germanus eſt honor, quo ejus, qui honore afficitur, dignitas honoratur.

Id in honore tuo contigiſſe, cum eſt ad exiſtimationem tuam famamque ampliſſimum, tum ad animi mei lætitiam ac voluptatem tantum eſt, ut, ſi non dicam aliquis omnibus mihi neceſſitudinibus conjunctus, attamen non æque dignus, ſed ego ipſe, certe indigniſſimus, eumdem honoris gradum, fortunæ flatu aliquo (quod factum eſſe aliquando memoriæ proditum eſt) ferente, aſſequutus eſſem, non æque gauderem. non enim me privata umquam commoda magis, quam publica, delectarunt;

ne-

neque quidquam in humanis rebus esse pulchrius aut jucundius intelligo, quam consentaneum atque æquabilem rerum ipsarum actionumque ordinem, & juris, a natura, id est, ab auctore naturæ, profecti, inter homines conservationem; qua fit, ut suum unicuique certa & stabili cum ratione tribuatur. Jam, honores, & reliqua virtutis præmia, merentibus jure ipsorum quodam deberi, manifestum est; quæ propterea immerentibus, aut non æque merentibus addici, non injurium esse non potest. Possim ne igitur ego, aut vero quisquam, qui modo, hominem se esse, meminerit, vel maximis aut suis aut suorum propositis utilitatibus, hominum injuria delectari? non gaudeam potius, mihi aut meis quod non debetur, id iis, quibus debetur, adjudicari?

Magna est profecto vis æquitatis, præclara species, potens illecebra. Quid? ille ipse BENEDICTUS, a quo honorem istum accepisti, quid in dando maxime sequutus est? quid

præcipuum adamavit? quid sibi amplectendum, quid exornandum putavit? nonne æquitatem potissimum tuam? Est in manibus luculenta illa ejus Alloquutio, in amplissimo orbis terrarum consilio ad Cardinalium collegium sexto Kalendas Decembres habita; in qua eorum, quos Cardinales renunciaturus mox esset, insigniora merita, tacitis quidem adhuc atque occultatis nominibus, verumtamen satis aperta cujusque significatione, commemorans, ubi tandem ad designandum te venit, *Erit demum*, inquit, *qui jamdiu eximiam jurisprudentiæ laudem in Romana Curia merito adeptus, & multis in rebus ac difficillimis Apostolicæ Sedis negotiis sub eodem Prædecessore nostro versatus, non paucos denique annos apud nos* TOTIUS JUSTITIÆ ADMINISTRATIONE OMNIBUS OFFICII SUI MUNERIBUS MAGNO ET CONSTANTI ANIMO SINE PERSONARUM ACCEPTATIONE SATISFECIT, *suisque studiis atque laboribus nos in assiduis, qui-*

bus

bus premimur, *curis & sollicitudinibus sublevare non destitit*. Hoc quoque justitiæ fuit, immo justitiæ atque æquitatis tuæ præcipuum munus, eum, qui te *totius justitiæ administrationi* præfecerat, tuis *studiis atque laboribus* in ejus maximis atque *assiduis* omnium Ecclesiarum *curis & sollicitudinibus sublevare*.

Captus est igitur excellenti hac tua *justitiæ administratione* BENEDICTUS; qui quidem illud etiam in eadem Alloquutione testatum continuo voluit, *Unam se meritorum rationem in Cardinalium creandorum electione spectasse*. Non possum non etiam ego hac ipsa sapientissimi Pontificis in mandandis honoribus justitiæ administratione capi: non possum non ea summopere lætari incredibiliterque gestire. Videtur enim mihi illius Reipublicæ status nostris hisce temporibus esse constitutus, quam tum demum beatam fore princeps ille ingenii atque doctrinæ Plato scribit, si in ea Principum potestas cum sapientia con-

jun-

jungeretur. Principum autem sapientia civili scientia maxime continetur: scientia vero civilis in æquabilis inter cives juris administratione versatur. In hæc sapientissimi Principatus beata incidisse me tempora, mihi certe, atque adeo omnibus, lætandum est atque gestiendum. Quod autem in tuo potissimum honore ejusmodi sapientiæ promendæ atque explicandæ facultas atque opportunitas BENEDICTO XIV. oblata sit, id vero illud est, quod mihi plus esse ad animi mei lætitiam, quam si aut ego aut meorum maxime necessariorum quisquam eumdem istum amplissimi honoris gradum adepti essemus, paullo ante affirmabam, quodque iterum omni asseveratione confirmo.

Non vereor, ne, non perinde atque ego sentiam, hoc me tantopere testificari suspiceris. oblitus tui viderere, si neminem putares ipsa honestate potius, quam sua quavis utilitate delectari ac duci. desciscere ab æquitate illa, quam præter cæteras

vir-

virtutes tuas in te suspicimus, si homo, ab omni simulatione remotissimus, simulati animi aut fictæ orationis in quoquam, qui nec incredibilia diceret, & de quo tibi, quo animo ea, quæ diceret, loqueretur, non liquido constaret, crimen agnosceres. Ego vero tam me non simulate esse loquutum sentio, ut non modo tibi, atque iis, qui nunc sunt, verum etiam omni consequenti posteritati notos esse sermones hos meos sensusque velim.

Intelligis profecto, jam ad alterum, de quo te mihi rogandum esse initio proposueram, orationem esse delapsam. Rogo igitur te, ut, qui primum illud roganti mihi non denegasti, tibi ut in recenti honore isto tuo gratulari, te non invito, possem, alterum hoc quoque concedas, ut gratulationem hanc ipsam meam posteritati transmittere, te etiam libente, possim. Patere, illam etiam hoc scire, honore me tuo plus, quam si meus honor ageretur, esse

lætatum ; neque me tamen de honore tuo tibi, ſed de tua dignitate fuiſſe gratulatum: quæ quidem ſi abfuiſſet, nec lætari ego de honore tuo, nec tibi de honore tuo gratulari potuiſſem . Id autem ſcire poſteritas hac demum ratione poterit, ſi, quod a te vehementer peto, eamdem hanc, qua tibi gratulatus ſum , epiſtolam huic ipſi orationum mearum libello, quem edo, quemque etiam poſt me victurum confido, ineſſe atque præfigi permiſeris. quam tu epiſtolam non tam orationibus præponi, nuncupandi gratia, exiſtimare debes, quam ipſas orationes, epiſtolæ unius cauſa, libello apponi. non enim me ulla orationum, ſed ingens epiſtolæ, hoc eſt gratulationis meæ, perennitatis cura ſollicitat. Fuerunt illæ quidem ſæpius cum in Italia, tum in Germania Poloniaque vulgatæ. quod ego neque ut fieret, umquam laboravi, neque factum ſane moleſte tuli. nam neque famam ullam nominis, edendis iis, me conſequuturum ſperavi, neque

in-

infamiam ſubiturum apud æquos talium rerum æſtimatores credidi. in neutram enim partem ſunt, ut mihi quidem videtur, inſignes; ſed in quadam fortaſſe mediocritate conſiſtunt: ut neque omnes hujus aut ſuperioris ætatis oratores æque tolerabiliter, neque plerique non multo elegantius & ſcribant & ſcripſerint. ejuſmodi certe non ſunt, quas ego aut antea mea ſponte emiſiſſem, aut hoc tempore cuiquam inſcribere auderem; tibi præſertim, quem (quod olim de Q. Scævola dictum accepimus) conſtat inter omnes, & juriſperitorum eloquentiſſimum, & eloquentium juriſperitiſſimum eſſe. Nunc mutata ratio eſt, mihique juſta ac propemodum neceſſaria cauſa oblata, cur eas in lucem, aliquanto retractatiores auctioreſque, prodire velle debuerim. Si hanc, qua gratulatio de honore tuo mea continetur, epiſtolam ad te ſolam & incomitatam miſiſſem, non ipſa per ſe, ut ita dicam, ſtare ac diu vivere potuiſſet. ineunda

da mihi propterea ratio fuit, qua ſtabilitatem illi ac diuturnitatem compararem. cum aliquo meo opere, paullo, ſi non re ipſa, at certe mole ſua, firmiore, quodque ætatem laturum videretur, conjungendam putavi. Alia quidem neſcio quæ, te tuoque nomine minus fortaſſe indigna, mihi erant in manibus, ſed rudia adhuc atque inchoata; quæ ſi ante perficere voluiſſem, quam hoc gratulationis officio fungerer, nimis ſera futura gratulatio mea fuiſſet. Orationes relinquebantur, quas ante aliquot annos ad Florentinos habueram. his oculos orationibus atque animum adjeci; eaſque ſtatim arripui, quas,

Ut cymbæ inſtabili, fluctu jactante, ſaburram,

meæ paucarum pagellarnm epiſtolæ (quæ propterea verendum erat, ne, quemadmodum ait ille, ventis ludibrium deberet) ſtabilem quemdam ac perpetuum curſum conciliaturas ſperavi. Nihil ego aliud, earum noviſſima hac editione, me ſpectaſſe

profiteor; id unum cupii; id, nisi tu meis consiliis ac votis obstiteris, consequar. Cur autem obstes? qui, quem honore tuo tantopere lætari intelligis, velle debes, ejus lætitiam spe illa, numquam eam in posterorum memoria interituram, cumulari.

Extremum est, ut Deum O. M. enixe precer atque obsecrem, quod quidem & facio, nec facere umquam desistam, ut te salvum atque incolumem ad plurimos annos esse velit, primum, ut BENEDICTUM XIV. a quo tu tanto beneficio, ego tanta lætitia affectus sum, in illis suis Pontificatus maximi maximis curis ac sollicitudinibus, consilio atque opera juvare pergas; deinde, ut homines intelligant, quæ sit sub tanto Pontifice honorum non modo adipiscendorum, verum etiam retinendorum via certissima; denique, ut tu honore tuo, ego honoris tui lætitia diutissime perfrui possim. Vale.

Ex Collegio Romano. Nonis Decembr. Anno a Christo nato MDCCLIII.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinop. Vicesg.

Hieronymi Lagomarsinii è Societate Jesu Orationes legi perlibenter, jubente S. Palatii Magistro Reverendissimo, cui sanctè confirmo, atque testificor, nihil iis inesse, quod sanctissimæ Religioni adversetur, esse autem plurimum latinæ elegantiæ, ac solidæ germanæque eloquentiæ; & propterea illas posse judico in publicam lucem emitti. Dat. Romæ postridie Kal. Decembris MDCCLIII.

Philippus Bonamicus S. Th. D. & Sanctissimi D.N. BENEDICTI XIV. *Brevium ad Principes Substitutus.*

REIMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Mag. Socius Rm̃i P. Magistri Sacri Palatii Apost. Ordinis Prædic.

INDEX.

Oratio I. *Multam dandam esse litteris, at non multis, operam.* Pag. 1.

Oratio II. *Pro grammaticis Italiæ scholis.* 26.

Oratio III. *Pro lingua latina.* 51.

Oratio IV. *Pro scholis publicis prima.* 85.

Oratio V. *Pro scholis publicis secunda.* 113.

Oratio VI. *In adventu Francisci III. Lotharingiæ, Barri & Magni Etruriæ Ducis ad Florentinos.* 143.

Oratio VII. *Pro scholis publicis tertia.* 167.

Epistola. *Qua, quid in M. Tullii Ciceronis contra L. Pisonem oratione interciderit, demonstratur.* 201.

ORA-



ORATIO I.

HABITA FLORENTIÆ
III. IDUS JANUARIAS MDCCXXXIV.
CORAM
FABRITIO SERBELLONIO
ROMANI PONTIFICIS
AD - MAGNUM ETRURIÆ DUCEM
LEGATO, &c.



Multam dandam esse litteris, at non multis, operam.



Uod vulgo reliqui artium liberalium magiſtri vehementer expetunt, quaque re una maxime litterarum utilitatem contineri arbitrantur, ut, qui ad ſeſe doctrinæ comparandæ cauſa adoleſcentes accedunt, ſtudium immenſum quoddam, atque inexplebilem quamdam diſcendi cupiditatem afferant; id mihi Rhetoricæ præcepta nunc primum apud vos, Florentini, tradere inſtituenti, neque utile, neque propterea optandum videtur: quin, niſi modus, ac certa in ea ipſa re adhibeatur ratio, nihil litteris infeſtius, nihil juventuti perniciofius puto, quam nimio iſto diſcendi ſtu-

ſtudio inflammatos eſſe diſcipulos. Nam me uſus annorum jam ferme decem, quibus in hoc rhetorico tamquam curriculo verſor, edocuit, nullius in humanis hiſce litteris progreſſus eſſe tardiores, quam eorum, qui humanitatem omnem tota mente animiſque ſpectantes, ita contendunt, ſic impetu quodam ſtudiorum ſuorum ac tamquam ardore rapiuntur, ut, quemadmodum Herculem ajunt ſtadium olympicum animam continentem, unoque ſpiritu confeciſſe, ſic ipſi ſpatia hæc litterarum immenſa vix umquam reſpirantes, animamque liberam ducentes percurrere velle videantur. Non eos multitudo cognoſcendarum rerum prope infinita, non varietas incredibilis, non difficultas ſumma deterret. Artem oratoriam, poeticam facultatem, latinas, græcas, etruſcas litteras, rerum geſtarum monumenta, antiquitatis memoriam, reliqua artium omnia non eodem modo tempore, ſed eadem, ut ita dicam, opera conſectantur. Iidem & accuſatores acres, & defenſores boni, & hortatores graves, & diſſuaſores conſiliorum probabiles, & laudatores rerum ac perſonarum periti, & vituperatores vehementes (quibus dicendi generibus eloquentia ferme circumſcripta continetur), iidem epici, iidem tragici, iidem comici, lyrici, bucolici, ſatyrici, & ſi quod eſt aliud poeticæ laudis genus, repente evadere, haberique vellent. Atque utinam ætatis hoc eſſet vitium, non naturæ! Ubi ſemel juvenilis hic eorum ardor deferbuiſſet, moderatioribus tum iiſdem, ac ſanioribus uteremur. Nunc ætates omnes hominis reli-

liquas discendi hoc tamquam cacoethes corripit, in diesque latius misera contagione serpit ac sævit. Quam multos enim viros, quam multos etiam senes videmus æstu quodam cognoscendi omnia sic ferri, & tamquam tempestate aliqua perpetuo jactari, ut numquam errandi finem faciant, numquam in ullius doctrinæ tamquam portu conquiescant! Per logica, per physica, per mathematica, per cælestia, per terrestria, per humana, per divina omnia vagantur. Discruciantur intimis sensibus, si quis ullius aut veteris aut novi scriptoris liber non in eorum manus pervenerit: si vero aliquid, sibi antea inauditum, inter legendum offenderint, plane, plane inquam, exanimantur; miranturque quodammodo taciti ipsi secum, potuisse in rerum omnium natura esse aliquid, quod non jam ante didicerint. Sed, si verum quærimus, non est ea discendi cupiditas, sed fastidium. Ut quidam ægro corpore ciborum omne genus appetunt, allatos vero, quum paullulum gustarint, rejiciunt atque adspernantur, aliosque, quos suaves atque jucundos palato suo fore falso autumant, subinde poscunt; sic isti morbida quadam discendi tamquam orexi incitati, quas primum tam avide disciplinas appetiverunt, eas primoribus, ut ajunt, labris gustatas respuunt deinde atque fastidiunt, animumque continuo ad alias deinceps atque alias, mox æque fastidiendas ac repudiandas adjiciunt.

Horum ego hominum morbo, quantum quidem possum, sive potius, quantum ipsi, qui sibi sani videntur, me posse sinent (pro

ea, qua omnes, qui bonas litteras amamus ac colimus, erga litterarum ſtudioſos caritate, & pro eo, quo erga litteras ipſas, quibus ex hoc immoderato litteratorum hominum ſtudio periculum ſane ingens impendet, amore eſſe debemus) ſententiæ meæ atque orationis medicinam adhibebo in hoc tempore. Ea eſt hujuſmodi: ut in animum inducant, ſibique illud perſuadeant: *Multam quidem dandam litteris eſſe, at non multis, operam*. Hoc ego dum planum facere conor; dum ea, quæ adoleſcentibus, diſciplinæ noſtræ commiſſis, cenſeo profutura eſſe, dico; dum litterarum ſtudiis modum certoſque fines conſtituo; dum litteras ipſas eadem opera orno atque amplifico: tu me, Præſul ampliſſime, & litterarum cultor, & litteratorum fautor, voſque omnes, quotquot huc tam frequentes, tantaque alacritate conveniſtis, litteratiſſimi viri, multum dubitantem, neque modo judicia de me veſtra, ſed conſpectum vultuſque ipſos verentem, vixque tandem aliorum voluntate atque auctoritate compulſum, non mea ſponte, in hanc lucem domeſtica ex umbra prodire audentem, humanitate veſtra atque benevolentia, quæſo, ſuſtentate, & mea verba bona cum venia, ut aliorum ſoliti eſtis, ac diligenter attendite.

Doctrinarum omnium, ut virtutum, quoddam eſſe inter ſe vinculum, neque poſſe quemquam in una aliqua ſic verſari, ut excellat, qui non ſit reliquarum etiam omnium copiis atque opibus inſtructus, poſſum facile Stoicis aſſentiri. Hinc ille doctrinarum curſus,

ſus, ac tamquam orbis exſiſtit, quem græci propterea ἐγκυκλοπαιδίαν dixerunt: quem qui potuit univerſum conficere, is demum cumulate doctus ac plane ſapiens exiſtimatur. Præclara profecto res ac magnifica, multorumque mortalium ſtudiis acerrimis expetita; verumtamen ejuſmodi, quam nondum quiſquam aſſequi complectique potuerit. Nam, quamquam nonnullos aut legimus, aut audivimus, doctrinis omnibus excultos, ſapientiſſimos evaſiſſe, id non ita intelligere debemus, quaſi nihil ab iis fuerit, dignum ſtudiis hominum ac cognitione, præteritum; ſed ita, ut tantum quiſque in cognoſcendo profecerit, quo plus, qui ſimile ingenium ad diſcendum attulerint, paremque induſtriam adhibuerint, proficere non potuerunt. Nempe hanc in omni rerum natura æſtimanda regulam normamque adhibemus, non ut eas per ſe ipſas conſideremus, ſed ut, ad res alias in eodem genere referendo, quantum aliis aliæ præſtent, judicemus. Nam neque magnum appellare poſſumus in rebus humanis quidquam, neque multum, neque aliquid tale, niſi cum aliis magnis, multis, cæteriſque ſimilibus unumquodque comparetur. Qua etiam ex re fit, ut, quæ ſumma eſſe in aliquo genere exiſtimamus, ea excellere atque præſtare in illo eodem genere dicamus: ut non modo ſine comparatione judicare de rebus non poſſimus, ſed neque judicia ipſa noſtra ſine comparandi ſignificatione iiſdem de rebus exprimere. Atque hæc quidem omnis diſputatio, non mea, hominis indocti, ſed ſapientiſſimi Socratis apud Platonem, ex me-

mediaque ipsa Academia repetita, eo pertinet; ut ne nos vulgi opinionibus abduci abripique patiamur, neve iis, quos in omni temporum memoria, doctissimos, sapientissimos, ac, si Superis placet, minus quidem latino, verumtamen splendidissimo gloriosoque vocabulo *omniscios* appellatos cognovimus, nihil doctrinæ, sapientiæ, scientiæ ullius defuisse arbitremur. Non est profecto, non est hujus imbecillitatis ingenii nostri, non exigui hujus spatii, quod est homini ad vivendum datum, non denique ipsius naturæ rerum, quæ in infinita cum varietate, tum difficultate versatur, omnia pervidere, omnia nosse, omnia meminisse. Fuit ista quondam Sophistarum veterum arrogantia; quorum princeps leontinus Gorgias poposcisse in conventu Græciæ quæstionem fertur; deque omni re, quæ in disceptationem vocaretur, professus fuisse, copiosissime se esse dicturum. Haud paullo arrogantior Eleus Hippias ex eadem disciplina fuit; quem ait Cicero (*a*), cum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatum esse, cuncta pæne audiente Græcia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret: nec solum has artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Musicam, litterarum cognitionem & poetarum, atque illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur; sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus in-

(*a*) *De Or. l.3. c.127.*

indutus esset, se sua manu confecisse. O hominem singularem! o miram professionem, ac prope horribilem! de qua profecto idem sentiendum puto, quod de quorumdam testimonio, qui mira quædam de Marco Antistio Pyrgensi dicerent, optimum eum colonum, parcissimum, modestissimum, frugalissimum esse, Marcus Æmilius Lepidus censor libere festiveque respondit (a): *Nihil se illorum credere*. Certe Socrates, qui, cum Gorgia veluti compositus congressusque, de ea arte, quam sophista ille profitebatur, multa subtilissime ac prope divinitus disputans inducitur a Platone (b), eo hominem confidentissimum adigit, in easque angustias, & interrogando & instando, compellit, ut tandem loquacissimus ille obmutescat, quique, se omnia scire, profitebatur, omnino, quid respondeat, reperire non possit. Quanto modestius idem Socrates quantoque commodius, *id unum se scire*, professus est, *quod nihil sciret*? Atqui Philosophiam, morum illam vitæque magistram, primus philosophorum *e cælo*, ut ait Tullius, *evocarat*; idemque eam, quæ physicis continetur; universam lustrarat, &, id, quod ex Timæo Platonis intelligimus, multis partibus auctam illustrarat. Quid? æqualis Socratis Democritus? quocum Cleanthes, Chrysippus, reliquique inferioris ætatis philosophi comparati, esse quintæ classis eidem M. Tullio videntur (c),

(a) *Apud Cic. 2. de Or. c. 287.*
(b) *In Gorgia sive de Rhetor.*
(c) *Lib. 4. Academ. quæst. c. 73.*

nonne sophistarum, ejusdemque generis hominum levitatem contraria professione auctor gravissimus refutavit? *Nego*, inquit, *scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus: ne id ipsum quidem nescire aut scire, scire nos*. Nimis hic quidem, plus certe, quam ille Socrates, non modo de sua, sed de omnium mortalium scientia detraxit. Potuit uterque aliquid, mea sententia, hominum studiis relinquere, neque animos a discendo tam severa tristique oratione deterrere. Sed, quamquam hominum ingenia ac facultatem ex iis angustiis, in quas illi philosophi conjecerunt, in campum paullo patentiorem eduxerimus, nec omnem omnino scientiam ex humanis mentibus sustulerimus, sciendi tamen fines haud ita multum propagabimus; nec, quantæcumque, quamque diuturnæ nostræ contentiones exstiterint, illud efficere umquam poterimus, ut non multo plura, quam quæ scierimus, nesciamus. Moderemur igitur studiis nostris, discendique immensam cupiditatem illam coerceamus: ne, si omnia omnium artium scire voluerimus, plus, quam natura rerum patitur, hominisque conditio fert, expetere videamur.

Quid? si non modo non omnes artes scientia & cognitione complecti, sed ne singulas quidem perfecte ac cumulate callere possumus? ardebimusne etiam, flagrabimus, æstuabimus omnia cognoscendi cupiditate? an non potius sapienter omittentes, quæ omnino nos consequi posse diffidimus, in unam artem aliquam studio & cogitatione conversi, illam tamquam Spartam, vel quæ nobis forte

te obtigerit, vel quam consilio delegerimus, pro virili parte exornabimus? Equidem (ne Socratem adhuc atque Democritum dimittamus) sæpe mecum ipse quæsivi, quid illis hominibus, certe doctissimis, in mentem venerit tam valde testari, *Nihil se scire*: ac propemodum eo aliquando adducebar, ut crederem, voluisse eos, aut discendi spem hominibus, ut soli ipsi saperent, adimere, aut potius modestiæ opinionem quamdam apud vulgus ea prædicatione captare. Sed neque ambitionis suspicio in tantam virtutem cadere, neque ullius invidiæ potest: neque profecto, qui tam multis aliis sermonibus doctrinas hominibus commendarant, easque cum auditoribus suis in gymnasiis magna cum voluntate communicarant, quique non minus inscientiæ, quam arrogantiæ reprehensionem vitandam esse intelligebant, aut aliorum doctrinarum studia retardare, aut existimationi suæ detrahere quidquam voluerunt. Quid ergo est? Illud profecto. Intelligebant sapientissimi homines, scientiam mortalibus ullius artis, nisi omnia, quæ ad illam artem pertinerent, perfecte tenerentur, nullam contingere: nihil esse autem in ulla arte, quod non ad singulas alias pertineret: itaque necesse ei esse, qui unam scire vellet, scire omnes: scire autem omnes non licere: igitur ne unam quidem sciri posse: ac propterea nihil se, nihil quemquam scire. Fateor *esse hanc exilem quamdam* (ut M. Antonii illius eloquentis verbis utar) *&* *spinosam orationem, longeque a nostris sensibus abhorrentem*: sed eamdem verissimam esse

 con-

confirmo, & tum ad animorum arrogantiam, si quis forte sibi scientiæ opinione placuerit, minuendam, tum ad studiorum impetus, si quis omnia aut pleraque concupierit, retardandos, valere plurimum censeo.

Verum subtilia hæc argumenta, quæ solent a concione repudiari, omittamus: conemur, si modo id consequi poterimus, singularum artium difficultatem hanc planius, ad omniumque captum demonstrare. Ac ne omnia, quod esset infinitum, consectemur; de iis facultatibus, quæ magis in gymnasiis hoc tempore celebrantur, pauca cursimque dicamus: ex quibus haud erit difficile reliquarum facere conjecturam. Principem inter facultates locum, concessu omnium, obtinet ea, quæ de rerum omnium auctore ac principe Deo, de rebusque divinis agit, quamque Theologiam propterea nominamus. Hanc, quod universam mente animisque comprehendere homines non potuerunt, in plura tamquam membra secuerunt: quibus ex singulis immensæ ac perdifficiles facultates exsistunt. Nam & sacrarum litterarum explicatio, sine veterum monumentorum, temporum, locorum, & sine linguarum, hebrææ præsertim ac græcæ, cognitione, manca est quodammodo atque imperfecta: & dogmatum theologicorum tractatio, non & ipsis sacris litteris cognitis, & sanctorum patrum atque doctorum voluminibus, & conciliorum omnium, tum quæ œcumenica, tum quæ provincialia appellantur, actis diu multumque perspectis,

viro

viro est periculosa theologo. Quam partem, longe omnium præstantissimam ac difficillimam, nemo ad hanc diem majori ingenii atque doctrinæ laude, nemo uberius, nemo elegantius Dionysio Petavio persecutus est; neque tamen, quum dies noctesque unum illud opus urgeret, potuit, morte occupatus, quæ inchoarat, absolvere. Quid controversas christianæ catholicæque fidei quæstiones, quid de septem sacramentis (ita enim appellant: neque verebor grammaticorum reprehensionem, modo usitatis rerum vocabulis utar), quid de moribus disputationes commemorem? Nonne in hisce Theologiæ singulis partibus hominum doctissimorum ætates totas videmus esse contritas? Sed quid partes dixi? vel unum sæpe earum partium caput, de Dei scientia, de auxiliis divinæ gratiæ, de probabili probabiliorique opinione, de sexcentis aliis quæstionibus, si quis modo, quæ de iis sunt ab doctissimis hominibus in utramque partem disputata, velit cognoscere, omne propemodum humanæ vitæ sibi spatium, acerrimumque studium requirit ac poscit. Jam mathematicorum facultas (etenim huic primæ post Theologiam jure optimo deferuntur) tam late patet, tantis, tam multisque ex artibus coalescit, Arithmetica, Geometria, Algebra, Astronomia, Statica, Optica, Musica, Architectonica, atque aliis, ut, si quis non plus una tractare voluerit, negent ei earum rerum periti tractationem umquam defuturam. Certe, quamquam innumerabiles quidam, summis ingeniis præditi, ab antiquissi-

mis temporibus in ejus sive singulis, sive universis tractandis partibus elaborarint, nequaquam tamen omnia studio atque exercitatione consequi potuerunt. Multa priores ipsi occuparunt, multa posteris intacta reliquerunt. Hinc & Joannis Neperi perutiles illos ad rem trigonometricam logarithmos, & Bonaventuræ Cavalerii indivisibilium rationem, & Petri Fermatii præclaram illam de maximis minimisque methodum, a Cartesio Ugenioque tam feliciter illustratam, hinc sacram illam in Geometria, quam dicunt Anchoram, hinc analysin mathematicam, hinc Torricellianos tubos, hinc, ut reliqua innumerabilia recentiorum omittam, Galilæi vestri & multa & miranda inventa suspicimus. Sed nondum exhausta est omnis rerum mathematicarum difficultas. Supersunt adhuc plurima, frustra vel a vetustissimis, vel a recentioribus, vel ab utrisque tentata, in quibus nobis, iisque, qui nos ætate consequentur, negotii satis esse superque poterit. Superest longitudinis gradus (utor jampridem facultatum ipsarum vocabulis, ne, si aliter fecero, & obscurus, & nimio plus diligens fuisse videar), superest, inquam, longitudinis gradus deprehendendus; planetarum theoria, tantis partium studiis, Copernico & Tychone suffectis ducibus agitata, certa ratione aliqua perspicuaque constituenda; circuli quadratura perficienda; gravitatis, ventorum, marini æstus, magneticæ vis, aliarumque rerum plurimarum causa cognoscenda.

Atque hæc quidem postrema, quæ ad se

ſe etiam philoſophi putant pertinere, monent me, ut jam de Philoſophiæ difficultate, quæ ſentio, dicam. Sed nullam ſententiam meam hac quidem in re volo interponere, immo ne de omnibus quidem Philoſophiæ partibus dicere. De ea modo, quæ phyſica contemplatur, quid ſummus philoſophus ſenſerit, accipite. Ego enim ſic ſtatuo, vix quemquam avorum patrumque memoria aut ingenium acrius, aut vehementius ſtudium, aut majorem ſolertiam ad res phyſicas cognoſcendas, quam Petrum Gaſſendum, attuliſſe. Hominem Ariſtoteli, ariſtoteleæque familiæ univerſæ perinfenſum ariſtotelicus laudo; qui contrarias noſtris ſapientum opiniones, ſi quando neceſſe eſt, reprehendendas, at ipſarum auctoribus parcendum, ipſoſque adeo ſuſpiciendos eſſe ſemper exiſtimarim. Is igitur naturæ tantus inveſtigator, in eo libello, quem *Dubitationes, & Inſtantiæ ad Carteſii Metaphyſicam* inſcripſit: *Quidquid*, inquit, *fuit nobis de re unaquaque noſſe neceſſarium, illud nobis* (Deus) *apertum fecit, tribuendo rebus proprietates, per quas innoteſcerent, & nobis ſenſus varios, quibus illas apprehenderemus. Quod ad internam vero naturam, & quaſi ſcaturiginem attinet, illam, ut nobis cognitu non neceſſariam, occultam voluit: & nos, quum noſſe affectamus, aut præſumimus, intemperantia laboramus.* Rurſuſque in epiſtola tertia ad Petrum Cazræum Societatis noſtræ hominem, familiariſſimum ſuum, capite quinto, *Sed facio*, inquit, *vir doctiſſime ac religioſiſſime, quod, dum in perveſtigatione cauſarum natu-*

naturalium versor, nusquam non caligo mihi offundatur: atque idcirco, tamquam incedens in densissimis tenebris, nihil non palpem, nihil non moveam, nullam non tentem semitam, si forte in aliquam speciem vel tenuissimæ luculæ emergam. .... Neque enim est, cur existimes, istis me nugis ita hærere, ut ipsas, quasi veritatem ipsissimam, habeam aut colam. Sed, cum totus mundus sit nugarum plenus, & videre videar nugas quoque esse, quæ vulgo habentur seria maxime, superesse existimo, ut eas nugas deligam, quæ esse minus nugæ videantur. Audiamus illum denique in litteris ad Renerium datis: *Sic semper*, inquit, *afficior, ut existimem, nihil scire licere ex rebus naturalibus, præter ipsarum historiam .... sufficit mihi conjecturam sequi, quæ vel umbram quamdam levem probabilitatis habeat: de re seu veritate ipsa Deus maximus viderit, qui, præter rerum corticem, quantum mea capit imbecillitas, nihil cognoscendum mortalibus dedit.* O hominem ingenuum, eoque magis intelligentem, quo sese minus intelligere confitetur! Ubi sunt tam modesti doctoris feroculi quidam discipuli? qui, quasi se illis rerum universarum natura e cælo, tamquam numen quoddam, videndam clara in luce contemplandamque præbuerit, ita doctrinæ suæ arrogantia subnixi ambulant. Desinant, se esse aliquid in eo genere, arbitrari, cum tam demisse, tamque propemodum abjecte de se ac de sua facultate germanos philosophos sentire intelligant.

Quid? In rhetoricis operibus arrogan-

tia

tia num est magis ferenda? An est cuipiam M. Antonii apud Tullium vox illa inaudita? *Disertos exstitisse quam plurimos, eloquentem* ad sua tempora in hominibus *neminem*. An non M. ipse Tullius, *homo* ille quidem, ut Fabii Quintiliani, clarissimi rhetoris, verbis utar, *dono quodam providentiæ genitus, in quo vires suas eloquentia experiretur*, tamen in suo ad M. Brutum Oratore Antonii verissimam vocem illam fuisse multum & sæpe testatur? Num quis est postea, iis exstinctis, eloquens, qualis antea non fuerat, exortus? Ergo a nemine est adhuc perfecti oratoris laus in maximis contentionibus occupata. Nemo se igitur circumspiciat ac jactet: nemo sibi in ea re diutissime contendendum esse non putet.

Eadem ferme est atque una ratio poetarum: quorum, ut oratorum, facultas quum ex omnium artium cognitione efflorescat, studii, laboris ac temporis non minus, quam universæ, requirit. Fac tamen sola Grammatica Poeticam atque Oratoriam esse contentas. Contrahes utriusque facultatis terminos, non definies. Cum autem Grammaticam appello, non eam dico, quam profitentur ii, qui pueris latinæ linguæ rudimenta tradunt, neque ferme quidquam, præter ea, quæ aliis tradunt, noverunt ipsi (de quibus est Luciani illud oppido festivum: Jovem, quem oderit, eum pueris erudiendis addicere), sed eam, quam M. Terentius Varro, omnium romanorum, auctore Cicerone, eruditissimus, quam P. Nigidius, civita-

vitatis romanæ, teste A.Gellio (a), doctissimus, quam C. Julius Cæsar in libris, quos de ratione latine loquendi ad Ciceronem scripsit (b), quam ipse Cicero, non eloquentiæ modo, sed eloquutionis etiam parens, quam, ut propiora temporibus videamus, Politianus in *Miscellaneis*, quam Muretus, Lipsius, vir ille eximius Victorius vester, in suis *Variarum lectionum* libellis, quam Turnebus in *Adversariis*, quam tres Manutii, Lambinus, Nizzolius, Gruterus, uterque Gronovius, Grævius, innumerabilesque alii doctissimi viri, cum antiquisque comparandi, in suis sive Præceptionibus, sive Glossariis, sive Commentariis, graviter copioseque tractarunt. Atqui hoc scitote; tam multa in iis a multis aut mendosa aut suspecta fuisse deprehensa, tam multa, de quibus sententiam eorum minime dissimulari oportebat, ab iisdem esse prætерita, ut, qui aliquid judicare de iis rebus possunt, nihil adhuc in hoc genere perfectum a quoquam prodiisse pronuncient. De enarrationibus quidem (quas *Notas* alieno ineptoque vocabulo appellant) in omnes veteres latinos scriptores, quæ ad usum serenissimi Galliarum Delphini inscriptæ circumferuntur, nihil gravius dicam, nisi videri, non tantum plerosque illarum auctores, quantum ingenio ac facultate poterant, voluisse contendere. Hominem Gallum de Gallis illis grammaticis (grammaticorum est enim tota

(a) L.17. c.7.
(b) *Apud Cic. in Bruto c.*253.

ta illa tractatio) ne quemquam sententia mea violasse videar; testem dabo, atque eum quidem, qui toti illi rei non interfuit modo, verum etiam præfuit, doctissimum virum Petrum Danielem Huetium, cui secundæ partes in Delphini institutione, cum Bossuetio principe erant creditæ. Is in eo commentario (a), quem de rebus ad se pertinentibus scripsit, *Quamvis*, inquit, *omnis adhibita est a me diligentia in seligendis perspectæ tantum doctrinæ viris, quibus veterum auctorum commentariis illustrandorum cura demandaretur: nonnulli tamen vel levius, quam putabam, tincti litteris, vel impatientes laboris, quam mihi commoverant, exspectationem sui fefellerunt.* Hæc Huetius. Ecce autem iisdem ferme temporibus, quibus veterum scriptis ab iis hominibus opera navabatur, vir quidam (b) item Gallus, neque ineruditus & valde industrius, Francisci Sanctii, Gasparis Scioppii, Gerardi Joannis Vossii vestigiis insistens, novam artis grammaticæ methodum (sic enim commentationes suas inscripsit) tradere mortalibus instituit. Qui omnium recentissimus in hanc arenam prodierat, quique superiorum omnium grammaticorum laboribus adjuvaretur, is profecto absolutissimum quoddam opus grammaticum perficere debuisset. Verum is multo plura professus est, quam quæ præ-

(a) *Editus est Lipsiæ an.* 1719. *pag.* 120.

(b) *Claudius Lancellotus Benedictinus. Obiit an.* 1695. *in Abbatia Quimperlay in inferiore Britannia, cujus incolæ Britones.*

præstiterit; majorem omnia colligendi, quam eligendi optima quæque curam adhibuit; superiorum peccata non multá sustulit; quin novis de suo additis cumulavit: quorum non pauca vir latini ac græci sermonis scientissimus Franciscus Vavassorius a se animadversa vulgavit (a); quædam italus interpres a se correcta testatur; plurima nos etiam, quamquam cum illis nullo modo comparandi, adhuc corrigenda superesse, fortasse aliquando ostendemus. Quo magis mirari soleo, potuisse eam methodum italis hominibus sic probari, ut reliquas veteres ac receptas jam multi fastidiant atque improbent; neque alia ratione, quam quæ in ea traditur, esse pueros in latina lingua instituendos putent. Nimirum habent hoc præter cæteras gentes Itali prope singulare (dicam aperte quod sentio, quodque vos ipsos, sapientissimi viri, sentire necesse est) habent, inquam, hoc Itali, ut bonis suis, quæ & multa sunt, & exteris nationibus invidenda, non sint contenti; aliena, quamquam sane mediocria, sic adament atque suspiciant, ut pretium rebus, libris præsertim, non nisi peregrinitas apud eos facere videatur. Sed illuc revertor. Videtisne, universam artis grammaticæ regionem, quæ modicis quibusdam finibus circumscribi putatur, nullis adhuc fuisse cujusquam tamquam passibus peragratam? Quam multa in veterum latinorum libris a doctissimis grammaticis ignorentur, aut non intelligi-

(a) *In libello, cujus est tit. De vi & usu quorumdam verborum.*

ligitis? Cum autem eloquentiæ, ut ait Cicero (a), *solum & quasi fundamentum sit oratio emendata & latina* (quod idem ad poeticam transferre sane possumus), quantum in hac una re oneris poetis atque oratoribus imponatur, plane perspicitis. Reliquarum etiam principum facultatum immensa spatia ac difficultatem, me, quantum angustiæ temporis patiebantur, commonstrante, cognostis. Possumusne, non singulis peramplam materiem inesse ac tamquam segetem, arbitrari? possumus sive universas, sive plerasque, aut etiam aliquot studiis nostris operaque complecti? possumus ingeniis hominum tantum tribuere, ut tantam vim rerum ab singulis posse comprehendi putemus? Nihilne rerum ipsarum multitudo, nihil varietas, nihil difficultas intelligendi facultati oberit? vitæ hujus denique brevitatem, atque multiplicem occupationem contemplantes, nonne animos plane despondebimus, omittemusque (ut ait poeta bonus) (b) *multa brevi ævo jaculari*.

Ac si reliquis eruditis hominibus, quibus omnia vel naturæ vel doctrinæ subsidia abunde suppeditarunt, summæ studiorum suorum contentiones sic e sententia processissent, ut in pluribus excellere artibus possent, magis hoc concedendum nobis putarem, ut multarum artium excellentiam expeteremus. Nunc autem quorum tandem est ista laus, ut pluribus in rebus iidem præsta-

(a) *In Bruto c.258.*
(b) *Hor. l.2. Od.16.*

ſtarent? De iis modo, qui haſce litteras humaniores coluerunt, quique maxime noti ſunt, quæram. Homerum, excellentiſſimum poetam, paremne fuiſſe oratorem putatis? Demoſthenem contra, præſtantiſſimum oratorem, ad poeticam Homeri laudem adſpiraſſe arbitramini? Jam Virgilium, latinum Homerum, *illa felicitas ingenii*, ut ait Seneca (*a*) *in oratione ſoluta reliquit*: *Ciceronem*, latinum illum pluſquam Demoſthenem, *eloquentia ſua in carminibus deſtituit*. Quales latini poetæ Victorius, Sigonius, Muretus, Perpinianus, Manutii exſtiterunt? nonne mediocres? At oratores valde iidem boni. Sannazarius, Fracaſtorius, Bargæus, Hoſchius, aliique complures, oratores vix tolerabiles, at poetæ valde quidem probandi vel in eodem, vel in diſſimili carminis genere fuerunt. Quin illud uſu ferme ſemper veniſſe animadvertere poſſumus, ut, qui non utriuſque facultatis laudem adamarunt, ſed in una modo conſtiterunt, ſi unam hanc & latinis & etruſcis litteris celebrare atque excolere voluerunt, non æque vel latinis vel etruſcis ſatisfecerint. Eximios duos cives veſtros dumtaxat afferam. Quis enim neſcit, Joannem Caſam ſummum etruſcum oratorem exſtitiſſe? Unam, unam inquam, illam ad Carolum Imperatorem orationem malim ego, quam ſexcenta aliorum orationum volumina ſcripſiſſe. At vero latina ejuſdem ſunt illa quidem non contemnenda, verumtamen non ejuſmodi, ut ſimiliter ſe poſſe

(*a*) *Lib.3. Contr.*

posse scribere plerique desperent. Nihil potest non modo fieri, sed ne cogitari quidem splendidius, uberius, elegantius Francisci Petrarcæ carminibus, sed etruscis. Nam latina quidem, sive epica sive bucolica, nemo iterum legenda existimavit. Equidem ejus Africam si quando in manus sumo, Petrarcam in Petrarca requiro: neque satis possum statuere, mirerne magis illorum temporum atque hominum indulgentiam sane nimiam, qui non optimo latino poetæ lauream illam apollinarem detulerunt, an posteriorum & temporum & hominum severitatem, qui tam multis certe melioribus denegarunt. O rem sane miram ac prope incredibilem! unam eamdemque facultatem, ejus modo tractandæ ratione immutata, intimo artificio sententiisque retentis, evadere sic plane aliam, ut duæ dissimillimæ inter se facultates constituantur, quarum in utraque non possit unus atque idem excellere! Quod si ita est, jurene an injuria doctores ii reprehendantur, qui latinæ atque etruscæ poeseos præcepta nolunt conjuncte tradere, vos videtis. Qui secus faciunt, eos ego viros & acutos & doctos & exercitatos & docendi peritos esse, quosdam scio, quosdam puto. Verum videndum est, num id illi judicio suo sensuque commoti, an aliorum voluntate, precibus, ac prope convicio efflagitati coactique faciant. Nam sæpe (quod est profecto indignissimum) præceptoribus stare judicio suo in discipulorum institutione non licet: sed puerorum parentibus, consanguineis, patronis mos est gerendus, tum temporibus, & cu-



cujusque ætatis ſtudiis, ac tamquam genio indulgendum. Ut ut res habet, ego neminem reprehendo. Tantum peto, ut ne quis nos, ne noſtros, ne quemquam noſtri ſimilem, in cauſa fortaſſe meliore, reprehendat. Nolumus, diſcentium animos in plura ſtudia magno cum ſingulorum incommodo diſtrahi; nolumus, adoleſcentulorum mentes tanta diſſimilium rerum obrui copia; nolumus, e gymnaſiis litteratores magis, quam litteratos prodire. Namque ea eſt hominum querela, atque haud ſcio an propemodum juſta, quamdam adoleſcere, atque huic noſtræ ſuccreſcere ætati juventutem, tinctam illam quidem litteris, ſed non imbutam; plus illi coloris, quam ſucci ac ſanguinis ineſſe; multa profiteri, non item multa præſtare; nihil non conari, vix quidquam poſſe perficere: verendum propterea eſſe, ne ſemidoctorum in immenſum numerus augeatur, & ne ſingulæ diſciplinæ ſuis tamquam tutoribus certis orbatæ, aliquando profugæ ex Italia in exterarum gentium tutelam venire ac fidem cogantur.

A quo periculo prohibete res italas, adoleſcentes optimi (vos enim mea hæc extrema jam compellat oratio); retinete illud a majoribus veſtris partum, vobiſque veluti per manus traditum litterarum decus; neque committite, ut, quæ apud vos & natæ & altæ ſunt litteræ, eæ diutius apud vos conſiſtere, atque in Italia confirmari non poſſint. Non ego ſocordia ulla veſtra aut ceſſatione commoveor. Alacritatem iſtam veſtram, ſtudia iſta diſcendi, ſpiritus iſtos atque

que animos pertimesco; neque vestræ cupiditati calcar, sed frænum esse adhibendum intelligo. Patriæ hujus vestræ solum, quo excepti primum nascentes estis; cæli hujus, quem viventes ducitis, spiritus; majorum, in quos defixi intuemini, decus ac nomen; civium vestrorum, quos inter versamini, præstantia in litteris atque excellentia; indoles denique vestra egregia atque natura, stimulis vos gloriæ acerrimis dies noctesque compungit: atque, ut Themistoclem illum Miltiadis tropæa, objecta animo, somnum capere non sinebant (a), sic vos, assidue de domestica laude cogitantes, vix ullam potestis partem quietis capere. Quæ doctissimorum hominum in urbe vestra frequentia! Quanta in iis omnium disciplinarum cognitio! Quam celebris eorum & ubique pervagata fama! Alios Theologiæ penetralia magno cum doctrinæ apparatu feliciter ingressos, de divinis rebus quotidie tum commentantes, tum etiam scribentes videtis. Alios philosophicas institutiones nitidissimo orationis genere tum voce, tum editis voluminibus explicantes; hos egregiam græcis auctoribus navantes operam; illos de Græcorum Romanorumque numismatis, de veteribus inscriptionibus, de omni antiquitate eruditissime disserentes scribentesque miramini. Quosdam etruscam linguam sedulo locupletantes, & vocabulorum tamquam pollinem a furfure secernentes; quosdam Berniani stili charites, sed multo verecun-

(a) *Apud Cic. l. 4. Tusc. quæst. c. 43.*

cundiores facias, veluti postliminio, in Etruriam revocantes, & sibi honori, & patriæ ornamento, & universis mortalibus utilitati esse perspicitis. Mitto causidicos, medicos, chirurgos, architectonas, pictores, statuarios, musicos; quorum artes honestissimæ ac maxime liberales domicilium quodammodo in urbe vestra constituerunt. Quid nocturnos illos, octavo quoque die celebrari solitos, litteratorum hominum conventus commemorem? Quæ vestra tum mens, qui sensus, quæ animorum in omnem partem jactatio ac tamquam æstus esse solet, cum sive oratoribus, sive poetis, sive sibyllinorum ænigmatum interpretibus admurmurari a concione ac plaudi auditis? Pudet tum vestri nimirum vos; superiorum temporum in litteris cessationem damnatis tacitis sententiis ac devovetis; nullumque in reliquum tempus litteraturæ comparandæ genus, quo similem laudem assequamini, prætermissuros vos esse statuitis. Laudo egregiam indolem, laudo præclaros spiritus istos vestros: propositum laudare non possum. Quid enim? Omniane vos in litteris assequi vos posse confiditis? Quam sint litteraturæ partes singulæ vastæ, quam laboriosæ, quam non cujusquam adhuc cognitione comprehensæ, nondum intelligitis? Ipsos illos, quorum eximiam præstantemque doctrinam mecum jure suspicitis, quibus tantum non invidetis, quos æmulamini, quorum similes esse, quos æquare, quos, si fieri posset, superare velletis, an putatis ad tantam fuisse litterarum laudem perventuros, si multis se litteris temere dedidissent, si ani-

mos

mos in plura ac dissimilia studia distraxissent, nisi unam facultatem, quam colerent, ad quam reliqua omnia referrent, in qua non mediocres quidam, sed excellentes, sed summi, sed singulares evaderent, delegissent? Quin agite, o generosi! horum exempla sectamini, hos vestigiis persequiminor, eamdem semitam, qua illi præiverunt, insistite, si eodem pervenire, & similem comparare vobis laudem expetitis. Reprimite istos neque vobis, mihi credite, neque litteris utiles studiorum concitatos ac cæcos impetus; ardorem discendi istum, quo flagratis acerrimo, paullulum, quæso, restinguite; & id, quod faciendum esse omnibus oratione hac mea ostendere conatus sum, vos, si quis alius, inprimis facite, ut multam quidem operam litteris, at non multis, detis. Dixi.



ORATIO II.

PRO GRAMMATICIS ITALIÆ SCHOLIS

HABITA FLORENTIÆ

IV. IDUS JANUARIAS MDCCXXXV.

CORAM

JOSEPHO MARIA MARTELLIO

FLORENTINÆ CIVITATIS ARCHIEPISCOPO.



Uicumque in liberalium disciplinarum sive professione sive studio quodam atque exercitatione versantur, amplissime Pontifex Josephe Maria, eo esse animo, ea mente debent, ut, neque si quid vitii in illarum tractatione animadversum a quoquam est, negligendum sibi, neque, si quid commodi excogitatum est, repudiandum putent. Tum enim demum sua doctrinis absolutio atque artibus accedet, si in iis fuerint, quæ vitiosa deprehenduntur, sublata, &, quæ utilia ac commoda reperiuntur, inducta. Neque vero ulla re alia magis possunt ingeniosi homines atque acuti facultatem industriamque suam litteratorum ordinibus approbare, quam si, inventis jam ac constitutis quibusque litteris, eas ipsi aut castigando aut ornando meliores fecerint. Hanc sibi provinciam ac laudem in plerisque disciplinis juvandis docti quidam homines exitu sane felici depoposcerunt. Unam video profecto a multis, sed haud scio an æque feliciter, esse tentatam. Nam, posteaquam in Ita-

Italiæ gymnasia ea latinæ linguæ tradendæ ratio, qua nunc etiam plerique utimur, recepta est; dici vix potest, quam multi extiterint, qui quodam sive contentionis, ut nonnulli putant, sive, ut ego interpretor, publicæ utilitatis studio commoti, novas subinde de re grammatica commentationes suas, tamquam meliores ac priscis propterea anteponendas, edere ac prædicare non destiterunt. Hos ego (ut item cæteros, qui utilitatis novæ alicujus spem in omni re litteraria studiosis ostendunt) neque inauditos dimittendos esse, neque negligenter ac suspensis animis audiendos semper existimavi: ne, boni si quid afferrent, id superbe repudiatum, si quid incommodi obtruderent, periculose admissum videretur. Videbam equidem, italos præceptores, si paucos quosdam exceperis, a prisco illo suo instituto non recessisse; veteremque illam præceptorum rationem servandam sibi constanter ac retinendam censuisse. Movebat id quidem me non mediocriter: verumtamen eorum judiciis non tantum tribuendum putabam, ut mihi, rectene an secus id facerent, meo arbitratu quærere non liceret. Conquisivi doctores illos recentes undique: quid in vetusta grammaticæ rei ratione reprehenderent; novi quid ipsi afferrent; num brevitate artis, num facilitate, num elegantia commendarentur, nullo partium studio, summa judicii æquitate, acerrima mentis contentione, perpendi. Quid quæritis? Nova hæc omnia deprehendi, Florentini, alia falsa, alia vera illa quidem, sed aliena atque ine-

 pta,

pta, alia prope monstrosa, alia plane ridicula; denique sic apud me statui, nihil esse tanti, ut a veterum magistrorum consuetudine atque institutis in re grammatica recederetur. Sed, quum animadverterem, patronos suos novis istis doctoribus non deesse, ab iisque excogitatas tradendæ linguæ latinæ rationes in cælum laudibus ferri, vetustam vero, qua plerique hic in Italia uterentur, vituperatione ac prope conviciis nonnullorum peti: non satis esse arbitratus sum judicium meum de hac tota re, quam diu diligentissimeque expendissem, mihi esse probatum, nisi illud etiam efferrem, atque, ut hominum vulgo probaretur, falsis, si quas animo imbibissent, opinionibus sublatis, efficerem. Et, quamquam orationem, de re sane exili atque tenui institutam, in quasdam me dicendi angustias ac tamquam incitas compulsuram intelligebam, vixque arbitrabar esse ejus, qui nobilissimam artem profiteretur, quique superiore anno ex hoc ipso loco præstantissimas quasque facultates oratione sua complexus esset, eumdem nunc ad hæc vulgaria delabi, & in una arte omnium, ut opinio est hominum, levissima despectissimaque consistere: tamen, non uno mihi dictionis meæ fructu proposito, statui exiguo hoc tamquam campo minus gloriose decurrere, quam patentiore minus utiliter exsultare. Nam profecto & quæri a me hoc tempore de optima ratione tradendi eas litteras, quæ reliquarum sunt, ut ait Cicero (a), solum

(a) In Bruto c. 258.

solum & fundamentum, vehementer utile futurum eſt: & recentium grammaticorum arrogantiam paullulum coerceri, eorumque qui illis cæco quodam ſtudio patrocinantur, ſtultitiam leviter coargui, nihil, opinor, nocebit. Illud ſcio, initurum me gratiam, eamque magnam, a multis & honeſtis & doctis viris, qui ferre jam æquo animo non poſſunt, ſibi tam ſæpe tantiſque clamoribus objici, Anglorum, Batavorum, Gallorum, Japonum, credo, etiam atque Sinenſium grammaticas inſtitutiones italicis eſſe longo intervallo anteponendas; ratione ea, qua ipſi in tradendis latinæ linguæ præceptis utuntur, quaque in poſterum etiam tempus uti fixum animo deſtinatumque habent, adoleſcentium ingenia non inſtrui, ſed obrui, curſuſque illorum ad reliquas diſciplinas magnopere retardari. Hanc ego ſive remiſſionis cujuſdam, ſive pertinaciæ notam non ſinam diutius italicis gymnaſiis hærere: oſtendamque oratione hac mea, nullam ſatis juſtam afferri cauſam, quamobrem debeant a veteri atque recepta tradendæ artis grammaticæ ratione itali latinæ linguæ præceptores recedere. Ac, ne quis forte me putet privatam magis atque domeſticam, quam publicam atque communem cauſam ſuſcepiſſe, complectar oratione mea non eos modo, qui Emmanuelem Alvarum, verum etiam eos, qui eruditum virum Ambroſium a Viſitatione, qui M. Antonium Bonciarium, qui denique aliquem horum ſimilem in tradendis grammaticis diſciplinis ducem atque auctorem ſequuntur. Æque enim omnes

iisdem reprehensionibus sunt obnoxii, iisdemque obtrectationibus patent. Quo plures autem mortales defendo, eo majori studio ac benevolentia oportet vos humanissimos homines mea verba excipere, meque diligenter attendere.

Atque ut statim ingrediamur in causam, ajunt reprehensores nostri primo: (a) Italos vehementer magistros errare, in eoque plurimum adolescentulorum studiis officere, quod latinæ linguæ præcepta, non italico, sed latino sermone edita atque conscripta tra-

(a) Inter cæteros, quorum sententiam de Grammaticæ præceptis latine non tradendis, in hac orationis parte refellimus, est Vincentius Gravina; cujus illa sunt in Orat. 1. de Instaur. studiorum. *Atque ex his aliisque ætatis aureæ scriptoribus, quæ Augusti ævo concluditur, carpenda sunt atque proferenda pueris faciliora .... porro in traditione præceptorum id meo judicio peccatur in scholis maxime, quod quæ ad latinæ linguæ intelligentiam requiruntur, latine præbentur; atque ita obscura per obscuriora panduntur. Etenim regulæ ad auctorum sensus reserandos institutæ, ipsæmet indigent eadem clavi, cujus usum e regulis petimus. Quid autem absurdius, quam petere lucem a tenebris, & linguæ intelligentiam quærere a præceptis, eadem lingua nondum intellecta perscriptis? nihil gravius enim, nihil ærumnosius, quam ediscere prorsus ignota &c.* Eadem apud sexcentos, qui sibi sapere videntur, repetita invenies.

tradant: similiterque eos facere, ac si quis latinum hominem, græce discere cupientem, juberet græce scriptis præceptionibus uti. Hæc est prima reprehensio; in qua novi isti doctores, præsertim exteri, cum se magnifice jactant, tum nobis prope contumeliose atque impudenter insultant. Quod ii vel non facerent, vel moderatius certe facerent, nisi Italorum plurimos sibi suffragaturos arbitrarentur; qui quidem mihi videntur, italici nominis ac suæ dignitatis obliti, turpissime ac pæne flagitiose exteris nationibus adulari: ita, quicumque novæ opinionis ex Anglia, ex Batavia, ex Gallia rumor affertur, continuo excipiunt, amplectuntur, exosculantur: ut jam non modo vestimentorum atque epularum, sed etiam opinionum arbitria penes illas gentes esse videantur. Verum ego & exteris scriptoribus, & italis subscriptoribus ita respondeo: primum, latinæ linguæ non minimam partem non nisi latine posse nostris adolescentibus tradi: deinde, reliqua utilius latine, quam italice tradi. Etenim primo, qui possunt aliter, quam latine, aut nominum declinationes, aut verborum conjugationes proponi discentibus? Quum vero iidem in componendis, interseque comparandis nominibus omnis generis atque verbis a præceptoribus exercentur (quam exercitationem minus quidem latino, verumtamen recepto jam vocabulo *concordantiarum* appellant) quæro, num sit ullus aut esse possit vernaculæ linguæ locus? Ergo prima hæc, quæ certe non minimam grammaticæ artis partem continent, ita ne-

 cesse

cesse est latine tironibus proponi, ut, si aliter fieret, omnis iis esset ad linguæ latinæ cognitionem aditus interclusus: sunt enim totius artis quasi vestibulum. Atque hactenus quidem nos isti non reprehendunt: vident enim ita fieri necesse esse, neque vero se aliter facere intelligunt. Sed cur non reprehendant, siquidem sibi constare velint? An prima illa tam multa & nomina, in tot casus declinata, & verba, in tot tempora ac modos inflexa, quæ discere puerulos jubemus, latina non sunt? annon discentibus propterea etiam ignota? Ignota autem si sunt, cur non reprehendimur, qui non nota vocabula iis, quibus notam latinam linguam esse volumus, edischenda proponimus? Nempe ob eam rem nobis hoc datur atque conceditur, quod ita ignota proponimus, ut tamen, adhibita continuo ignotorum interpretatione, ea ipsa, quæ ignota erant, nota faciamus. Ergo, quod prima illa elementa, discentibus ignota, interpretemur, recte possumus sine cujusquam reprehensione ignota proponere: si vero reliqua ejusdem artis, ignota illa quidem, similiter discentibus interpretabimur, etiamne tamen reprehendemur? Vel nobis hoc quoque concedendum est, ut facere recte possimus; vel in primo illo castigandi corrigendique sumus. Fateor, latinæ linguæ præcepta a nobis non italico, sed latino sermone edita atque perscripta tradi: latinum sermonem esse discentibus ignotum intelligo. Quid tum? Annon interpretando fit notus? Non adsumus adolescentulis? non præsto sumus? non fa-

facem in illis tamquam tenebris præferimus? nonne innotescunt, nonne illustrantur omnia? Quid igitur vetat, esse latinæ linguæ præcepta latine scripta, si non latine, sed italice italis hominibus traduntur? Etenim, si verum quærimus, ignoto sermone scripta est hæc ars, sed noto tradita. Quod si idem in lingua aut græca aut alia quavis fiat, idem plane consequi necesse est: ut omnino nihil græcæ linguæ exemplo ac similitudine, qua isti utuntur, urgeamur.

Sed videte, quæso, Florentini, quemadmodum isti se in eosdem laqueos, quos nobis injicere vellent, per summam imprudentiam atque adeo stultitiam induant. Edicunt uno omnes ore, latinas litteras discere incipientibus latinum esse aliquem scriptorem prælegendum atque explanandum (*a*). At in eo tamen deligendo haudquaquam eadem est omnium sententia. Alii, quibus judicium in hac quidem re meum libens adjungo, Terentium, Cæsarem, Ciceronem, aut e veteribus illis aliquem horum similem reliquis esse anteferendos existimant. Alii, quod in his intelligendis plusculum negotii adolescentulis fore arbitrantur, Ludovici Vi-

(*a*) Audiatur idem in eadem oratione Gravina: *Statim*, inquit, *ut puer flexiones nominum ac verborum simul cum aliis Grammaticæ rudimentis memoriæ mandaverit, ad scriptores est adducendus: eique, ut nobis olim discentibus mos erat, præbendus in primis Ludovici Vives nitidissimus atque utilissimus exercitationum libellus*.

vesii colloquia, Jacobi Pontani progymnasmata, ac, si superis placet, Æsopi fabellas, latine a nescio quo redditas, malunt. Atque has quidem fabellas (quas ego tirunculis minime omnium prælegi expedire censeo, non modo quod solœcis barbarisque vocibus sunt refertæ, quas si semel illa ætas didicerit, nulla deinde ætas fortasse dedisfcat; verum etiam quod illa narrationum illecebra, quam quidam eam vim habere putant, ut sermo, quo eæ scriptæ sunt, altius puerorum mentibus infigatur, valere mihi potius videtur ad eorum animos ab eloquutione, quam potissimum spectare deberent, ad res ipsas, quæ narrantur, quibusque unice capiuntur atque oblectantur, avocandos) has, inquam, fabellas multis verbis, idque pluribus in locis suæ puerorum institutionis, Lockesius, scriptor anglus, dilaudat. Si non in hac urbe, aut si in hac urbe, sed non apud vos verba facerem, vererer, ne aliquem offendissem, quod Lockesium sine honoris præfatione nominaverim. In ea enim tempora incidimus, Florentini, ut quidam ægrius ferant, hæretico homini (nihil enim gravius dicam) non bene dici, quam catholico maledici. Sed non id agimus, ut quemquam, quamvis fortasse meritum, insectemur, aut de temporum calamitate conqueramur. Hoc tantum dicam: tunc me æquo animo de re latina præcipientes, Italorumque in ea tractanda rationem ac viam reprehendentes, britannos homines auditurum, quum aliquid vere latinum (quod jamdiu desideramus) ab se elaboratum

tum ad nos ex illo oceano suo miserint. Sed unde digressa est, revertatur oratio. Videtisne, doctores istos in præcipiendo latino aliquo scriptore, qui puerulis ad latinam linguam adspirantibus explanetur, convenire; in deligendo dissentire? Atque hoc ego minime miror, dissentire eos (*quot* enim *homines*, ut est in veteri proverbio, *tot sententiæ*): illud miror potius, eos convenire. Nam sane mirandum est, qui grammaticos eosdemque latinos libros e puerorum manibus unanimi consensu excusserunt, idque fecerunt ob eam causam, quod latine scripta ars a discentibus latinam linguam intelligi non posset, eorum neminem animadvertisse, ob eamdem causam nullos omnino latinos scriptores ab se iisdem permitti oportere. Verum ita fit, ut, qui non ratione in reprehendendo, sed pravo aliquo studio ducuntur, ii sæpe non aliena, sed sua, vel sua non minus, quam aliena peccata reprehendant.

Quamquam ego non tam severe cum istis agam, quam ipsi nobiscum. Licet per me latinos scriptores, modo veteres ac probos, adolescentulis prælegant. Id ego & faciendum puto, & a nostris fieri etiam video. Licet etiam, si ita volunt, grammaticis præceptionibus, vernaculo, non latino sermone scriptis, utantur. Quin ego homo cæteroquin vehementer occupatus, tamen ut & illis morem geram, & discipulorum suorum utilitati prospiciam, Emmanuelis Alvari (nisi forte alterius docti Grammatici malunt) latinas institutiones faciam italicas, &, si paullulum

mente contendero, fortasse etruscas, atque adeo germanissime florentinas. Sed minime, opinor, hanc a me operam flagitabunt; quod sciant, Alvari quidem præcepta italice jam a pluribus esse conversa, passimque vulgata; reliquorum autem ab iis potius, qui eos sequuntur, quam a me, converti oportere. Quid? quod proxime superiore anno hac ipsa in urbe aureolus sane libellus, etrusco sermone ab eruditissimo viro, familiari meo, conscriptus prodiit, quo grammatica præcepta continentur, valde profecto pueris elementariis profuturus? Hoc sive alio quolibet, sed, si me audient, hoc potissimum, me non modo non invito, sed auctore etiam atque hortatore, utantur. Molestus eis certe non ero: neque umquam negabo, esse hanc etiam ad latinam linguam cognoscendam rectam & satis munitam viam. Sed nobis iidem, nostra in eos benignitate atque æquitate perspecta, benigniores se atque æquiores præbeant. Cur nos objurgant? cur reprehendunt? cur propemodum insectantur? cur latinis nostris libellis nos uti non sinunt? qui, quod latini sint, non modo, adhibito interprete, non obsunt, ut ostensum est, verum etiam, ut jam ostendam, non nihil prosunt.

Etenim, Florentini, omnis istorum libellorum doctrina duobus tantummodo constat ac continetur, præceptis atque exemplis. Exempla autem sunt e probatissimis quibusque latinis auctoribus petita: quibus ea, quæ in ipsis præceptis tradita sunt, luculentissime confirmantur. Num etiam electissima veterum latinorum loca, discentibus a magistris explicata,

cata, obesse quidquam, ac non multum prodesse potius latinitati comparandæ possumus dicere? Jam præcepta sunt illa quidem non veterum, sed recentiorum: verumtamen eorum, qui non recentibus, sed vetustis optimorum latinorum vocabulis utuntur. Mihi quidem in Alvari nostri (de uno dicam; quod unus ex omnibus mihi fuerit ab ipsa pueritia familiarissimus: non quod existimem, non posse eadem vel certe similia de plerisque aliis Grammaticis commemorari) in Alvari, inquam, nostri præcepta intuenti, nihil fieri concinnius posse, nihil latinius, nihil elegantius videtur: ut, si quis ætatis illius aureæ artem Grammaticam rudium captui atque intelligentiæ accommodatam scribere voluisset, prope existimem, non multo id fuisse melius aut felicius præstiturum. Sed quia plerisque major de Horatio Tursellinio (cujus multa elegantissime, & ad veterum latinorum similitudinem accedentia, scripta videre potuerunt) quam de Emmanuele Alvaro opinio est; cujus hominis non nisi hoc opusculum, quod puerorum manibus ac magistrorum teritur, exstare putant: faciendum est mihi, ut de tota hac re ipse vos doceam.

Quod opusculum, Emmanuelis Alvari nomine inscriptum, de re grammatica circumfertur, & in gymnasiis adolescentibus explicatur, id scitote rebus, quas continet, esse Alvari; ipso rerum ordine atque compositione esse Tursellini. Nam quum Alvarus grammaticam artem scribere uberius instituisset, sic ut nihil cognitione dignum præteriret. Grammaticos omnes, qui ante se fuerunt, tum

tum veteres, tum recentiores excuteret, eorum controversias omnes, quæ sunt innumerabiles, acerrimo judicio expenderet, de eisque sententiam suam interponeret, opus quoddam excellens, atque opinione omnium doctorum absolutissimum confecit, magistris quidem apprime utile atque probatum; sed & mole grandius, & rebus ipsis, de quibus agebat, multis in locis subtilius, quam ut a discipulis facile & parari & gestari & tractari & intelligi posse videretur. Accessit eo, quod ipse lusitanus, in Lusitania scribens, nominum & verborum interpretationes suæ gentis hominibus accommodarat: ut ob eam etiam rem minus commode in italicas scholas induci liber illius posset. Jussus est ab iis, qui tum ordini nostro præerant, Tursellinius Alvari opus universum retractare; atque efficere, ut italis etiam pueris usui esse posset. Ille, quo erat ingenio atque doctrina, omnia perpendit, recensuit, digessit, edidit. Atque inde opusculum illud, quod Alvari nomine Tursellinius ipse, qui ex majori illo ejusdem opere concinnaverat, inscriptum voluit, habemus. Quorsum hæc? Ut intelligatis, quo in pretio illorum præceptorum latinitas atque elegantia habenda sit, quæ sunt ab homine, omnium eruditorum consensu, latinissimo elegantissimoque conscripta. Verum minime necesse est, ea præcepta esse eleganter exposita: satis est, ne obsint, immo ut prosint etiam discentibus, non esse barbara. At erunt fortasse, inquiunt, aliqua aliquo in loco barbara. *Erunt fortasse*? O rem stultitiæ plenam, atque oppido ridiculam! scriptum aliquod

tam-

tamquam barbarum rejicere, non quod sint aliqua, sed quod *esse fortasse possint*, barbara. Hæc vos deprehendere, hæc patefacere, hæc, veluti contestata lite, accusare oportet. Defendemus. Quod si non poterimus, nos, nos, inquam, ipsi condemnabimus, locoque sine cunctatione movebimus, atque alia, quæ vos ipsi probetis, latina atque elegantia substituemus. Ita adolescentes nostri non modo latinæ linguæ præcepta, verum etiam plurima latina vocabula, quibus præcepta ipsa continentur, una eademque opera docebuntur. quod profecto utilius est, quam si sola ipsis ac tamquam nuda præcepta traderemus.

At certe, ajunt, tametsi præcepta tradi latine est utile, tamen tam obscure ac perplexe tradi non est utile. Quid autem obscurius, quid implicatius Alvari cæterorumque Grammaticorum versiculis?

Jam hæc ad alteram reprehensionem pertinent. Prima illa de latinis præceptis evanuit. Dabo operam, ut hæc etiam de versiculis evanescat. Quid autem est, quod debeat in nostrorum Grammaticorum versibus tantum novis istis doctoribus displicere? In Alvaro quidem (ut de hoc potissimum loquar) ii, qui propter operis difficultatem paullo, non dicam obscuriores, sed minus perpicui videri possint, ab Alvari hoste infensissimo Scioppio multum & sæpe laudantur; qui quidem illos & *absolutissimos* & *pulcherrimos* vocat. Reliquos autem recentiores latinos Grammaticos video aut versus illos ab Alvaro totidem verbis descripsisse, aut paullulum immutatos edidisse. Mihi quidem neque tum obscuri videbantur, cum

cum puer olim ex magistri ore, illos in ludo interpretantis, pendebam, measque aures apollineo illo cantu mirifice mulceri sentiebam. Sed utrumne vos non animadvertitis, an vero dissimulatis, iisdem versibus explicationem suam singulis soluta ac plana oratione subjici? Una est atque eadem versuum & solutæ illius orationis sententia. Cui versus displicebunt, is enarrationes illas, omissis versibus, nobis non repugnantibus, amplectatur. Neque enim ad præcepta cognoscenda necessarii sunt versus, sed ad illa jam cognita memoriter ac diu retinenda valde quidem accommodati. Habet enim nescio quid poetarum ille numerus ac modus ad memoriam vehementer firmum ac diuturnum. Mihi certe aliquando de re aliqua grammatica inter loquendum scribendumve dubitanti, Alvarianos olim didicisse versus fuit sæpe utile. Fuisset etiam illi Alvari inimico Scioppio non incommodum, si non modo Alvari versus laudare, id quod fuit judicii, verum etiam ediscere, id quod erat voluntatis, animum induxisset. Numquam certe, ut alia multa omittam, illa scripsisset: *Cum tempus futurum significatur, apud Plautum & Ciceronem usurpatum* abhinc *adverbium reperitur*; si Alvari versiculos illos neque obscuros neque implicatos meminisset

Gaudet abhinc *verbis exacti temporis*. *Ergo*
Natus abhinc annos *vel centum dicimus* annis

Verum tu, qui inutiles latinos nostros versiculos esse arbitraris, putasne, tuos italicos adolescentulis multum prodesse? Vereor, ne

si qnos

si quos ex Claudii Lancellotti *Nova methodo* (quam *Portus regalis Grammaticam* vulgus appellat) etrusce ab homine neapolitano reddita, italisque hominibus plus, quam est satis, commendata, vereor, inquam, ne si quos ex ea versiculos exempli causa attulero, videar & severitatis vestræ, Florentini, & meæ gravitatis oblitus. Sunt enim pleríque, vere ut dicam, perridiculi: ut neque recitari, neque audiri sine risu possint. Accedit etiam, quod sunt ita hianter, ita hiulce, ita confragose, ita aspere compositi, ut valde mihi timendum sit, ne non possim eos memoriter atque expedite, sine lapsu aut certe hæsitatione aliqua, pronunciare. Experiar tamen, sed ita, si ante (quemadmodum Poetæ Musas, ubi in aliquem operis sui insignem atque ad explicandum difficilem locum devenerunt, invocare solent) sic ego vestram opem mihi, in loco ad dicendum profecto difficili, vestrumque auxilium implorem, atque ut mihi, si quando offendero aut hæsitaro, vestra humanitate adsitis, obtester.

Regola de' Nomi in NS ed RS.
Tis NS RS induce.
Dis glans, nefrens, e *lens* brama:
Che pur *libripens, frons* ama,
E gl' in *S*. che *cor* produce.

Quæ verborum ambages? quæ ænigmata? quæ rerum portenta sunt isthæc? Dædalo heic aliquo, Oedipo, etrusco Lucumone est opus. *Tis NS RS induce* &c. Sibi ista quid volunt? Italica sunt hæc? an latina? an utraque? an neutra? Equidem videbar mihi italicam linguam satis commode intelligere, latinam non admo-

admodum incommode , nunc a me video utramque plane ignorari. Hos vos versiculos vestros, novi doctores, extollitis ? latinos nostros deprimitis ? hos ad discendum faciles, illos difficiles, hos ad intelligendum perspicuos, illos obscuros ducitis ? Magnam quidem habeo, Florentini, puerilis illius ætatis meæ moderatoribus gratiam, sive potius Deo immortali, qui me discere primas illas litteras ante voluerit, quam in Italia *nova* hæc *methodus* vulgaretur. Nam, qui latinam linguam, non latinæ modo, verum etiam italicæ plane rudis, latinis Alvari præceptionibus non plus biennio didicerim , is, si in novam hanc methodum incidissem, adhuc in *Tis NS RS* hærerem; neque fortasse umquam e scyllæo illo tamquam scopulo emersissem. Atqui scitote, reliquos item illius artis versiculos, quibus de nominum declinatione ac de cæteris rebus præcipitur, eadem plerosque, nonnullos etiam majore sententiæ obscuritate laborare : id quod, si vel memoriæ meæ tantum fiderem, vel satietatis vestræ rationem non haberem, planum eorum recitatione facere possem.

Sed omittamus de versiculis dicere : quorum fuit levis sane reprehensio. Illa videamus multo gravissima, qua non jam tradendæ artis ratio, verum ars ipsa petitur, ac, nisi succurrimus, universa labefactatur. Quod eos conari, qui sunt ipsi otiosi, nec quidquam vel possunt, vel audent de suo in rem grammaticam afferre, non est sane mirandum. Illud vero quis non jure miretur, eorum nonnullos, qui hanc ipsam artem scriptis voluminibus complexi sunt,

sunt, sibi ipsos quodammodo obstrepere, de eaque libere fidenterque detrahere, atque ipsam, quantum in illis est, omnino convellere? Cujus equidem rei cum causam quærerem, hanc satis probabilem inveniebam, quod, cum suis illis artibus nullum fore inter celebriores satis honestum locum sperarent, invidia quadam commoti, bellum promiscue omnibus indixerunt, nec se jacere, modo adversarii sui non possent stare, recusarunt. De Gaspare quidem Scioppio illud memoriæ proditum est, primo eum omni officiornm pollicitationumque genere a nostræ Societatis hominibus contendisse, ut suus, quem de arte grammatica conscripserat, commentarius in nostra gymnasia reciperetur: deinde, ubi petitionem suam repudiari intellexit, omnemque ambitioni suæ obstructum aditum sensit, tum eum non in Alvari modo, sed in omnes omnium, atque adeo suas, grammaticas præceptiones invehi atque bacchari, tamquam furiosum, cœpisse; *Mercuriumque* illum *bilinguem* (*a*), quem ex Hispania in Italiam nuper

(*a*) Prodiit hic liber primum Salmanticæ an. 1611. hoc titulo, *Janua linguarum, seu modus maxime accommodatus, quo patefit aditus ad omnes linguas intelligendas .... industria Patrum Hibernorum Soc.* JESU, *qui in collegio, ejusdem nationis, Salmanticæ degunt, in lucem edita*. Auctor ejus præcipuus fuit. Guillelmus Bateus: de quo vide Philippum Alegambem in Bibliotheca Script. Soc. JESU. Hunc librum Scioppius in Italiam attulit, & eden-

nuper attulerat, omnibus obtrusisse, atque ubique vulgasse: quo uno commentariolo adhibito, universam latinam linguam, duobus, opinor, mensibus, sine ulla præceptorum ope perfecte comprehendi posse jactabat. Irrisa est semper ab omnibus, qui quidem communi sensu non carerent, hominis arrogantia: eorumque complures, qui post eum de re grammatica disputarunt, tametsi essent, æque atque ille, præceptis, tamquam minus necessariis, infensi; tamen non tam pernicia Mercurio illi talaria esse judicarunt, ut posset quemquam tam brevi tempore ad linguæ latinæ perfectam cognitionem ducere. Sed tamen iidem quiddam in eamdem rem, non minus fortasse irridendum, attulerunt. Legistis enim profecto apud istos, (a) idque a multis, qui

edendum an. 1628. Mediolani curavit, inscriptum *Mercurius bilinguis*: cujus hispanicam interpretationem Alexander Tassonus, Virginius Cæsarinus, Guillelmns Moons italicam fecerant. De qua tota re vide libellum Hostilii Contalgeni, editum Florentiæ apud Franciscum Honuphrium an. 1672. De Scioppii autem ambitione videantur Alberti de Albertis Vindiciæ c. 14. §. 7. n. 119.

(a) De Præceptis grammaticis, præter cæteros, ita etiam sentit in eadem illa oratione Gravina. *Quibus addiscendis absumitur tempus, longe utilius, atque jucundius in vocabulorum explicatione, ac bonorum auctorum interpretatione traducendum. Etenim præceptis magis ad scribendum, quam ad intelligendum uti-*

qui non ineruditi putantur, dici atque jactari in vulgus audiitis: *Latinam linguam non in Grammaticorum libellis, sed in veterum Latinorum scriptis esse discendam: in quorum lectione longe utilius, quam in præceptorum cognitione tempus collocari* (id quod gallicæ hispanicæque linguæ exemplo ajunt luculenter ostendi). *Satis esse præcipua quædam rei grammaticæ tamquam capita discentes doceri, reliqua per se ipsos in latinis libris cognituros: nunc, quod præceptis tantum tribuitur, in grammaticis scholis pueros consenescere, neque tamen satis umquam latinos evadere.* Utinam vero, Florentini, non dicam consenescerent, sed saltem adolescerent; neque tam immaturi, ut vulgo fit, ad Rhetores, ad Philosophos, ad Jurisperitos mitterentur. Tum illi, mihi credite, & latiniores evaderent, & cumulatius reliquis deinceps facultatibus satisfacerent. Nunc, præpropera ista sive parentum sive liberorum festinatione, crudi quodammodo nobis atque acerbi traduntur: qui, ut alia possimus, maturitatem certe illam, quam ipsi afferre ad nostra gymnasia debuissent, conferre non possumus; neque eum propterea ex iis, ut ita dicam, succum, quem maxime oporteret, exprimere. Subacti ingenii, maturique judicii juvene, barbato denique, non cincinnato, nobis, qui severiores artes ac graviores disciplinas profitemur

mur

---

utimur. Stultum est autem irretire præceptis ignorantem adhuc vocabulorum sensum & usum, qui legendis tantum arripitur explicandisque scriptoribus.

mur, est opus. Sinite ergo, finite, hæc tamquam poma, quantum est necesse, in cellis grammaticis maturescere: matura deinde ad nos, ingenti litterarum utilitate bonoque, mittite. Quod si tamen properatis, neque ullam, licet necessariam, ferre moram potestis, quodvis vobis compendium potius, quam hoc ab istis doctoribus indicatum, vestræ isti festinationi accommodatum fore putate. Nihil enim scitote esse longius, quam ista latinorum legendorum via, præceptis omissis, incedere. Nam, si nihil præcepta ad discendi celeritatem adjuvarent, profecto latini ipsi illi veteres, qui eloquentiæ laudem expetebant, in scriptoribus suis dumtaxat legendis constitissent: quos tamen ad publicas scholas itasse scimus, ut *rationem latine loquendi*, quam, auctore Fabio Quintiliano, (a) *Methodicen* appellabant, a Grammaticis docerentur. Ergo illi, qui latinæ linguæ scientiam ac cognitionem cum nutricularum lacte quodammodo sugebant, negligenda sibi tamen præcepta non putabant: nos alienam linguam, ac jamdiu intermortuam, una lectione librorum celerius, quam præceptorum conjunctione, percipi posse arbitrabimur? Certe doctores italos videmus ita grammatica præcepta in scholis tradere, ut non minorem curam in explanandis latinis scriptoribus impendant; quorum etiam scripta ad verbum edifcere memoriterque pronunciare discipulos jubent, quin ipsa præcepta, plerumque brevissima, plurimis latinorum veterum locis alla-

(a) *Quintil. lib.* I. *Instit. c.* 15

allatis confirmant : ut, ne tum quidem, cum aliquid præcipiunt, puerorum oculi ab illis exemplaribus avertantur. Hæc tamen tam assidua, tam diligens latinorum lectio, cum latinæ linguæ præceptionibus conjuncta, latinitatis cognoscendæ spatia haud ita multum contrahit. Quid si præcepta silerentur ? quid tum tandem futurum putatis ? Nam gallicæ quidem linguæ atque hispanicæ (quo isti nituntur exemplo) dispar est ratio. Vocibus illæ ab italica multum differunt, non multum sane syntaxi, itaque cognosci voces est ferme satis : cognoscuntur autem non præcipiendo, sed legendo. At vero latina plurimum ab italica & vocibus distat & syntaxi. syntaxis autem non in unius aut alterius, sed in omnium latinorum scriptis est longe lateque diffusa : ut propterea necesse sit, vel omnia illorum scripta ab unoquoque legi, ex iisque syntaxin ipsam erui atque depromi (quod & magni ingenii, & acerrimi judicii, & immensi laboris, & longissimi temporis est) vel præcepta (quibus universa syntaxeos ratio brevissime traditur atque explicatur) latinæ linguæ studioso cognoscenda. Utrum igitur malumus, incredibili temporis operæque compendio ad latinæ linguæ cognitionem pueros pervenire, an improbo sane labore per omnes latinitatis auctores diu, & aut nullo aut certe exiguo cum fructu, vagari ? Inest profecto, Florentini, quiddam in hac arte grammatica Geographiæ simillimum : cujus quidem discendæ duplex est via ; altera longior ac difficilior, loca ipsa ter-

terrarum per se obire, eaque diligenter notare: altera brevior atque expeditior, eadem ab aliis obita ac notata loca in tabulis librisque descripta cognoscere. Atque illud quidem impigri multi sollertesque viri fecerunt; qui, orbis regionibus peragratis, locorum descriptionem litteris prodiderunt: quorum sic nos itineribus laboribusque adjuvamur, ut jam Geographiam discere sedentes possimus. Immensa (quod non ignoratis) sunt artis grammaticæ spatia; *cujus* quidem quemadmodum M. Tullius ait (*a*), *pæne infinita vis est atque materia*. Hunc tamquam orbem grammaticum, ejusque dispersas regiones atque oras plurimi industrii atque ingeniosi homines perlustrarunt; veteresque historicos, oratores, poetas, omnes denique latinos scriptores (ne græcis quidem prætermissis, ex quibus latini sunt) adeundos sibi ac penitus cognoscendos existimarunt. Ex hac diuturna ac laboris molestiæque plenissima peregrinatione tandem ad nos veluti postliminio redeuntes, tum universam rei rationem, tum singulas partes, omnia denique scitu dignissima, ab se in longis illis itineribus animadversa, otiosis hominibus ac domisedis descripserunt, quasdamque, si ita loqui fas est, grammatico-graphicas tabulas, a se diligenter confectas, ediderunt. Has cognoscere quantuli laboris, quam non diuturni temporis est, si cum illa omnium scriptorum pervestigatione comparetur? Has igitur nos adolescentulis

(*a*) *Cic. l.*1. *de Orat. c.*10.

tulis cognoscendas ediscendasque proponimus. Isti peregrinationum auctores respuunt, adspernantur, rejiciunt: jubentque, vix pedibus ingredientes puerulos, vix vestigiis suis insistentes, impatientes laboris, cunctantes, timidos, rerum, locorum atque hominum ignaros, ingenii viribus infirmos, tamquam e patrio littore novos quosdam Jasones, Columbos, Vespuccios solvere, perque omnes grammatici orbis oras ac littora circumferri, & diu multumque jactari: unde cum se olim domum receperint, non aut vellus quoddam aureum reportent, aut novas a se detectas regiones nuncient, sed eam grammaticam doctrinam, notam jamdiu ac pervulgatam, quam domi parare facile ac brevi potuissent, ad nos senes jam facti referant. Sed utri magis discentibus ac litteris consulamus; istine, qui unam latinorum lectionem probant, an nos, qui præcepta cum lectione conjungenda esse existimamus, non est, opinor, obscurum. Hæc habui, Florentini, quæ pro italicis scholis, & pro italis grammaticæ artis doctoribus contra novos obtrectatores disputarem. Utinam, qui omnium Italorum gratiam hoc mihi patrocinio comparaturum sperarim, non alicujus in me odium atque offensionem concitem. Erunt enim fortasse, qui, ubi hanc a me pro veteribus atque domesticis institutis contentionem susceptam fuisse rescierint, totum hoc consilium meum improbent atque reprehendant: homines nimirum ex eorum numero, quibus vetera omnia præ recentibus, domestica ac no-

nostra præ alienis ac peregrinis sordent. Quod si acciderit, equidem, quod non omnibus satisfacere potuerim, moleste feram; sed illa me tamen re consolabor ac recreabo, quod sim usus vobis, cum attentis orationi meæ, tum, quod conjicere atque intelligere ex significatione vestra potui, sententiæ æquissimis. Tibi certe, Pontifex amplissime ac sapientissime, rem a me gratam profecto atque jucundam factam esse confido, qui ea linguæ latinæ præcepta, tibi olim puero in hoc ipso lyceo tradita, ejusmodi fuisse ostenderim, ut meliora non sint postea a recentioribus magistris inventa; ac propterea tibi, ad illa summa, quæ in omni doctrinarum genere consequutus es, properanti, nullam fuisse moram grammaticis illis nostrorum hominum institutionibus allatam. Dixi.



ORA-

ORATIO III.

PRO LINGUA LATINA
HABITA FLORENTIÆ
IDIBUS JANUARII MDCCXXXVI.
CORAM
FRANCISCO MARIA MARTELLIO
ARCHIEPISCOPO.



DIU multumque, quod non ignoratis, Florentini, ab eruditissimis viris quæsitum est, italicane latinæ, an italicæ latina lingua præstaret. Etsi autem in utramque partem multa sint sane graviter & copiose ab illis doctoribus disputata, nulla me tamen re impediri arbitratus sum, quo minus ego, quamquam cum illis neque ingenio neque doctrina comparandus, in eadem quæstione versarer. De qua quid sentiam, ex hac ipsa oratione mea, quam sum habiturus, cuique vos, si quando alias, maxime & attentos & benevolos esse oportebit, intelligetis. Plura præfari me hoc tempore neque necesse est, &, propter dicendarum rerum vim atque copiam, vehementer esset & mihi & vobis incommodum, sed mihi præsertim, qui febricula etiam conflictor, ob eamque causam hæc non memoriter neque stans, ut hujus loci consuetudo fert, sed de scripto sedensque recitare sum jussus.

Sed, antequam ad italicæ linguæ cum latina contentionem venio, quædam mihi

necessario de linguis generatim dicenda sunt; quibus hujus ipsius rei, quam quærimus, cognitio, & universæ controversiæ tamquam æstimatio continetur. Quod si ii quoque fecissent, qui tantis partium studiis in eadem quæstione tractanda ante me versati sunt plurimi, id fortasse attulissent, quo uno allato ac stabilito, reliqua est deinceps omnis facilis atque expedita conclusio: neque hominum eruditorum mentes, qui tamquam disceptatores atque arbitri ad rem cognoscendam ac dijudicandam ab illis actoribus advocati sunt, nihil certi adhuc, quod sequi possent in re tam ancipiti obscuraque, habuissent; neque toties, ut in judiciis solet, ampliandum pronunciassent. Illud igitur ante omnia ponendum est in oratione ejus, qui linguam aliquam commendandam præ reliquis atque efferendam suscipit, idque omni vera ratione confirmandum: unam esse omnium linguarum atque eamdem vim ac naturam; neque ullam ulli sua ipsius dignitate, sed hominum opinione præstare. Hoc viri eruditissimi sententia mea, ac cæteroquin acuti, non viderunt. Putarunt, suam inesse quibusque linguis insitam ac nativam pulchritudinem, gravitatem, suavitatem, splendorem, venustatem, magnificentiam: quæ dotes in quibus aut omnes aut plures essent, eas linguas præferri cæteris oportere. Atque hactenus quidem res mira animorum consensione, nulla sententiarum varietate bellissime procedebant. At vero, ubi eo deventum est, ut quæreretur, in qua potissimum lingua talia ornamenta reperirentur

rupta

rupta continuo fides, abalienati animi, commissa pugna: vociferatio, rixa, diffidium sempiternum. Nam, cum omnes inter se de summa re dissentirent, in eo tamen mirifice consentiebant, ut, quam quisque linguam defenderet, sive græcam, sive latinam, sive etruscam, sive gallicam, sive hispanicam, sive aliam ex iis, quibus humanæ gentes utuntur, eam reliquis & graviorem, & suaviorem, & splendidiorem, denique omnibus partibus meliorem dicerent: disputandique finis is esset, qui ferme solet, ubi studii cujusque, non veritatis, patrocinium suscipitur, resque non subtiliter, nec ad vivum resecantur, sed leviter, ac pingui Minerva, ut ajunt, aguntur, ut in sua quisque opinione obfirmatior pertinaciorque discederet, seque unum sapere, cæteros errare ac desipere arbitraretur. Possumusne verum aliquando, atque hujus disputationis exitum invenire? Possumus placare animos hominum iratorum, eoque infestius inter se depugnantium, quo sese justius plerique putant pro patriæ linguæ gloria ac dignitate arma sumsisse? Possumus Etruscos Gallis, Gallos Hispanis, præsertim vero Latinos & iis, & reliquis, qui de linguæ principatu contendunt, conciliare; & efficere, ut, depositis simultatibus, unam omnes principem deligant, atque ita suam non esse principem fateantur, ut nulli tamen de dignitate concedat? Possumus, ut opinor; & profecto præclara res est, & digna, in quam, quidquid possumus, conferamus.

Ac mihi quidem in humanas res in-

ti, & hominum diversa studia atque instituta contemplanti, verissimum esse illud videtur, quod etiam proverbii loco jactatur: orbis alteram partem, orbis alteram item partem contemnere atque irridere. Nam, ut omittam de ædium, vestimentorum, epularum, officiorum, rituum rationibus ac generibus admodum dissimilibus dicere, quorum tamen cuique sua maxime probantur, ac reliquis sive honestiora, sive commodiora ferme videntur: id ipsum in linguis quam late pateat, possumus intelligere. Licet unicuique in re minime obscura, quam sit hoc verum, secum ipsum reputare. Ego, quid mihi haud ita ante multos hos menses acciderit, dicam. Nam, cum animi causa ligusticam oram lustrarem, & Lavaniam, quod oppidum ad mare jacet, forte venissem, nec longe lapicidinas, toto orbe celebratas, in proximis montibus esse scirem, eo me visendi studio contuli. Omnia sane mihi jucunda ac grata acciderunt; præsertim cum & iis, qui me deducebant, & iis, qui in operis erant, humanissimis, ac singula sciscitanti comiter atque affatim respondentibus uterer. Unum modo me pupugit, fecitque, ut, eo me venisse, propemodum pœniteret. Cum enim jam satis oculos animumque & videndo & cognoscendo explessem meum, cœpi, more hoc nostro atque urbano, paullo pluribus verbis gratias tam bonis hominibus agere. Vidissetis, Florentini, montanos illos incolas furtim inter se adspicere, mirari, ad etrusca illa verba & vestræ similem syllabarum appellationem hor-

horrefcere, tenere vix rifum aut etiam fibilum. Tum mecum egomet: Nempe, inquam, non idem eft ubique linguis honos. qui etrufce loquimur, liguftice loquentes irridemus; illi nos: fortaffe injuria; fed tamen rident. Rideri autem cur malim, quam probari? Itaque, ut me illis darem, mutato repente fermone, & pronunciandi ratione converfa, cœpi liguftice liguftica verba conjungere, atque ita reliquum gratiarum actionis abfolvere. Quid quæritis? Ufque eo id illis gratum accidere animadverti, ut & mihi gratularentur, quod tam fubito refipuiffem, ac barbarum illum fermonem, quo initio uti cœperam, abjeciffem; & me inquinatiffime corruptiffimeque loquentem, & vafte ac ruftice, quantum poteram, pronunciantem fauftis ominibus ad mare profequerentur.

Quid? hoc mihi accidit primum, ut eo fermone utens, qui bonus ac commodus haberetur, irriderer?

Barbarus hic ego fum, quia non intelligor ulli:
Et rident ftolidi verba latina Getæ

ajebat ille (*a*) apud barbaros exfulans latinus poeta. Verum & ille aliquando refipuit; &, ne latine apud non latinos loquens irrideretur, didicit getice, immo & fcripfit; atque ita demum probatus eft:

(*b*) *Ah! pudet; & getico fcripfi fermone libellum,*

(*a*) *Ovid, l.5. Trift. El.10.*
(*b*) *Idem l.4. ex Ponto El.13.*

Structaque sunt nostris barbara verba modis.
Et placui (gratare mihi) cœpique poetæ
Inter inhumanos nomen habere Getas.

At vero barbarorum modo atque agrestium est bonos sermones irridere, quibus est suus malus: humanæ gentes ac cultæ bonis parcunt, malos dumtaxat insectantur. Quid igitur? Cum aliquando, ut fieri apud vos etiam arbitror, in scenam veneti hominis, aut bergomatis, aut bononiensis, aut neapolitani, aut vero etiam galli, hispani, germani persona inducitur; putatis eorum sermonibus plaudi, ubi tota theatra risu, cachinnis, sibilis personant? An sunt harum gentium sermones mali? An florentini inhumani, qui non malos sermones irrident? Quid? Cum alii item populi par pari, ut ajunt, referentes, ad pulpita florentini personam hominis evehunt, & simili plausu ac clamoribus excipiunt: num aut eos barbaros atque inhumanos, aut sermonem vestrum agrestem atque ridiculum esse dicemus? Ergo & humanissimæ gentes, non modo barbaræ atque agrestes, bonos sermones adspernantur; &, si quis propterea sermo ab alia gente non probatur, aut etiam irridetur, non continuo efficitur, esse eum malum. Verum hoc totum quale sit, post viderimus. Nunc illud teneamus, plurimum unamquamque gentem sermoni suo tribuere, alienum ferme irridere. Jurene omnes? dicet aliquis. Ex quo tandem istuc quæritur? Ex mene, an ex iis ipsis, de quibus quæritur? Si ex illis; nulla se id non jure facere affirmabit: si ex me; omnes injuria id

id facere confirmo. Quid ergo? Omnesne in errore versari dico, nec omnium offensionem vereor? Ego vero tum omnium potius offensionem vererer, si vel unam aliquam, vel omnes non errare dicerem. Nunc autem cum errare omnes dico, sperare potius videor, omnium me gratiam initurum, quam vereri, ne alicujus in me offensionem concitem. Nam, si illud dicerem, nemini, nisi forte uni, satisfacere possem; cum quidem singulæ recte ac jure id se solas facere contenderent. Cum autem hoc dico, *errare omnes*, nulla mihi irasci, nulla non favere debet; qui non competitricibus suis honorem eum, quem sibi uni deberi unaquæque testaretur, sententia mea detulerim. Ajo igitur, bona cum omnium non modo venia, verum etiam, ut spero, gratia: injuria sermonem quemvis a quoquam despici; nec suum cujusque (id quod institueram dicere) alieno ulla vi sua præstare, sed esse omnes (modo sermones sint, hoc est, vocibus, quibus tandem vis, ad significandas res, atque animi sensa depromenda, non careant) esse, inquam, omnes inter se pares; neque ullam sive gravitatem, sive suavitatem, sive splendorem, sive ejusmodi aliam dotem ex iis, quibus vulgo linguæ commendari censentur, in ipsis linguis inesse. Peto a vobis, Florentini, ut ne me putetis, levitate aliqua aut ambitione progressum, jactare ac profiteri id, quod vel falsum judicem, vel certe ejusmodi sit, ut nimis acutis atque exquisitis rationibus, longeque a communi sensu abhorrentibus, probari posse videatur. Non

is ego ſum, qui ſophiſtarum rationem atque inſtitutum ferre in aliis, nedum in me ipſo probare poſſim. Sic ſemper intellexi (id quod a ſapientiſſimis viris accepimus) neminem in oratorum numero eſſe habendum, qui non ſit, non quidem nomine, verum re ipſa philoſophus: homini autem philoſopho turpius nihil eſſe, nihilque tantæ ſapientiæ profeſſione indignius, quam, non dicam errare (id eſt enim humanum) ſed, quem eſſe errorem ſenſeris, amplecti, &, quod ferendum eſt minus, in aliorum animis ac mentibus inſinuare. Si vero eſt aliquid, quod verum judices, ſed ejus probandi rationem non ſatis firmam habeas atque explicatam, id uſque eo continendum puto, quoad certiora atque apertiora pervideas; vel, ſi efferre velis, id in gymnaſiis, atque in privatis doctorum cœtibus poſſis, in concionem certe afferri non oportere. Itaque utrumque profiteor vobis, Florentini, & judicium animi mei atque ſententiam in hac quæſtione allaturum, & omnia aperte, dilucide, bonaque cum fide acturum. Atque utinam, quemadmodum ego, animo maxime aperto & ſimplici & bono, ſum ea dicturus, quæ dicam, ſic ſperare poſſem, parem mihi omnes, qui me audituri ſunt, voluntatem benevolentiamque præſtituros. Nunc vereor, ne quis jam mihi ſuccenſere, ac propemodum iraſci cœperit, & ne jam nunc apud ſe deſtinet, eumdem animum reliquæ deinceps omni rationi adhibere. Putabit enim, me hoc ſumſiſſe, ut contra etruſcam linguam diſputem, eamque ex eo dignitatis gradu, in quo

ſua

ſua & multorum ſane ſapientiſſimorum hominum opinione, ſita eſt, hac mea contentione detraham. Quod non ita eſt, mihi credite, Florentini, &, ſi quis aliter putat, is & me minime novit, & rem ipſam parum attendit. Nam neque ego tam ſum furioſus atque amens, ut, ſi maxime ſentirem, etruſcam linguam omnibus de dignitate concedere, tamen velim, in hac urbe, quod ſemper omnium bonarum artium, præſertim vero elegantiſſimi ſermonis, domicilium eſt habitum, apud florentinos homines, qui ſuæ linguæ ſemper primas detulerunt, homo peregrinus atque advena hanc invidiæ plenam, atque offenſionis controverſiam commovere, &, non modo nulla utilitate propoſita, ſed magno etiam meæ famæ atque exiſtimationis periculo, eſſe tam impudens: neque rurſum id, quod de linguis me eſſe dicturum propoſui, eſt ejuſmodi, ut, ſi vel omnibus apertiſſimeque probaro, quidquam propterea de etruſcæ linguæ gloria ac laude detrahatur. Nam, ut omnes ſermones vi ſua ſint atque ipſa natura pares, illud tamen relinquitur, ut alter alteri extrinſecus adjectis atque attributis dotibus præſtare poſſit (quemadmodum, ſi queam, quod fortaſſe queam, metallorum omne genus par eſſe ſua ipſorum dignitate demonſtrare, nequaquam illud effecero, ut non aurum tamen præ reliquis opinione atque approbatione hominum maxime commendetur): nec, ſi non ineſt in ipſis linguis gravitas, ſi non ſuavitas, ſi non ſplendor, idcirco, qui iis uti velit, non

potest non graviter, non suaviter, non splendide dicere. Hoc totum cujusmodi sit, planius est jam atque enucleatius explicandum.

Ego enim sic existimo: quemadmodum homo, si, ut homo est, consideretur, homini nequaquam præstat; quod omnes eadem sentiendi atque intelligendi vi, qua sola homines sunt, æque polleant: ita linguas, si per se ipsæ spectentur, modo verbis, ut supra dictum est, ad quasque res significandas, animique sensa depromenda (cujus unius rei causa primo sunt institutæ) (a) idoneis non careant, in eodem omnes dignitatis gradu esse ponendas. Atque idem confiteor, esse tamen alias aliis, opinione atque existimatione hominum, præstantiores: non secus omnino atque ipsi homines sua ipsorum opinione aliis sunt alii nobiliores. Sed neque linguarum præstantiam illam, neque hominum hanc nobilitatem rerum ipsarum natura facit, sed, quemadmodum dictum est, opinio. Tolle opinionem; fient continuo omnia paria: neque erit omnino quidquam, cur aut hominem homini, aut linguam linguæ præstare dicas. Jam, quod ad hominum nobilitatem pertinet, sic ipsi inter se homines convenerunt, ut, qui illustribus parentibus, avis, majoribus ortus esset, hunc nobilem ducerent, hunc obscuro loco natis anteferrent, huic plurimum observantiæ atque honoris haberent. Cur ita convenerint, si ex

(a) Cic. pro Cæcina c.53. *si* (voluntas) *tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non uteremur: quia non potest, verba reperta sunt.*

si ex me quæris, vel nescire me dicam, vel dici a me hoc tempore non oportere. Non enim nunc id agitur, rationene id fecerint, quave fecerint; sed omnino fecerint necne: fecisse autem certe dubium esse non potest. Linguas item similis hominum opinio ac voluntas, non natura moderata est: ut eæ principes habeantur, quibus hominum quidam cœtus, quas Gentes & Nationes appellamus, principatum deferre maxime voluerunt. Qua in re tamen id esse eos potissimum sequutos possumus animadvertere, ut, quæ linguæ scriptoribus optimis abundarent, præferrent eas ferme reliquis. Ita Græci atheniensem, Latini romanam, &, ut temporibus propiora videamus, Galli parisinam, Hispani castellanam, Itali florentinam, aut certe etruscam prætulerunt. Nempe, cum viderent, ex iis sive civitatibus, sive gentibus exstitisse quamplurimos summis ingeniis præditos, & doctrinis maximis instructos, qui suam quisque linguam studiose ac diligenter excolerent, eaque sive in optimarum artium tractatione, sive in earumdem ratione hominibus tradenda, uterentur; eam esse omnium præstantissimam judicarunt, in eaque sibi esse maxime elaborandum censuerunt, quam summi illi viri potissimum delegissent, quaque eorum præclara cogitata atque omnis doctrina contineretur. Videtis igitur, quod familiarum nobilitati majores, hoc linguarum dignitati conferre scriptores (a). Quo quid con-

(a) In hoc Varchius pag. 160. Edit. Flor. 1730.

conficitur ? Nempe illud, quod supra posui: si consensu hominum eæ linguæ reliquis prælatæ sunt, quibus excellentes scriptores esse usos viderunt, non vi sua atque natura linguas linguis, sed ipsorum hominum opinione ac voluntate præstare, ac propterea, si per se ipsæ spectentur, esse omnes inter se pares.

Video, Florentini, nec vero dissimulabo, quid dici contra hanc conclusionem possit: consensu quidem hominum ac voluntate factum esse, ut præferrentur eæ linguæ, quæ meliores, quam aliæ, scriptores haberent; sed potuisse scriptores ipsos eam linguam potissimum deligere, quæ sibi sive melior alia, sive omnium optima videretur, & esset.

Si potuit hoc fieri, si etiam factum est, non possum recusare, quin causa continuo cadam. Verum ego neque factum esse, neque fieri potuisse contendo. Nam quid putatis? Ciceronem, exempli causa, latinam linguam, Petrarcham etruscam, bonos item scri-

1730. sui Herculani a nobis non dissentit: *Le lingue nobili non è dubbio, che hanno non mica l' essere, ma l'esser nobili, o altramente che chiamare le vi vogliate, dagli scrittori*: In reliquis ab eo ego dissentio: *Considerando, che se una lingua non fosse tale, che gli scrittori si potessero servire, e onorare di lei, eglino, se non fossero stolti, non vi scriverebbono dentro, si può dire in un certo modo, che le lingue facciano gli scrittori.*

fcriptores alios alias earum, quas ab iis illuſtratas, & tamquam nobiles factas, eruditiſque hominibus commendatas fatemur, delegiſſe potiſſimum atque uſurpaſſe, quod eæ reliquis meliores eſſent; an ideo reliquis eas factas eſſe meliores, quod ab iis delectæ potiſſimum atque uſurpatæ ſint? Equidem hoc alterum veriſſimum judico: primum illud omnino falſum. Etenim, cum ſe linguarum nobilitatis principes illi atque auctores ad ſcribendum contulerunt, linguas eas, quibus uſuri ſcribentes erant, jam tum extitiſſe atque adeo in ore vulgi, rudes illas quidem atque impolitas, verumtamen ſatis inſtructas, omnique vocabulorum genere abundantes, verſatas eſſe celebrataſque quis neſcit? Neque enim earum conditores illi, ſed uſurpatores fuerunt: neque eo ſermone ſcripſerunt, homines nimirum acuti & callidi, qui, ſiquidem eum ſibi ipſi ſuo Marte peperiſſent, a nemine poſſet intelligi. Id modo unum ſibi permitti quoſdam voluiſſe video, ut, ſi quando eas res tractare cœpiſſent, quas nemo ante in eodem ſermone attigiſſet, certa quædam vocabula ab iis ſermonibus, quorum erant uſu protrita, neceſſario mutuarentur, aut etiam alia ſui ipſorum ſermonis propria, leviter immutata innovarent. Hactenus, quia facere aliter non poterant, licere ſibi ab uſitato ſermone recedere exiſtimarunt. At vero, ubi hæc ſumma neceſſitas aberat, uſque eo uſitatarum vocum tenaces, latini præſertim, erant, ut, ſi quando uſitatam quidem, ſed minus vulgo frequentatam uſurparent, veniam quo-

dam-

dammodo præfarentur, illis aut illarum similibus utentes formulis: (a) *sic enim jam loquuntur*: *si hoc verbo uti possumus*, *&c.* atque etiam, si novum aliquod (quod fortasse erat non novum, sed tamen ipsis, ut sæpe accidit, inauditum) ab aliquo induci verbum audissent, vitiosum ducerent, graviterque reprehenderent. Quod, ut alia omittam exempla, quæ multa sunt, in M. Antonio, qui *piissimum* nove dixerat, Ciceronem (b) fecisse scimus. Quod si aliqui non ita religiosi aut in novis inducendis, aut in vetustis vocibus innovandis fuerunt (quales poetarum nonnulli, in primisque Dantes Aligherius inter italos fuisse existimatur) id neque tam sæpe fecerunt, ut vocum, sive novarum sive innovatarum, ratio magnopere sit habenda; neque non necessitate ipsi etiam aliqua, sive rhythmi, sive metri, sive convenientiæ inter se syllabarum extremarum consonantiæque coacti fecerunt: & certe non tam illis laus tribuitur, quod id fecerint, quam venia, quod necessario fecerint, datur. Eo igitur sermone, qui esset in ore vulgi, scriptores optimos esse usos intelligimus. At multum tamen inter scriptorum & vulgi sermonem interesse constat. Multum? Immo vero plurimum. Atque adeo hoc

(a) Cic. pro Sextio c. 115. *Et, ut ipsi loquuntur, favore.* Acad. quæst. libro 4. c. 6. *Corpus, & quasi qualitatem quamdam nominabant. Dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis utamur verbis inusitatis.*

(b) *Philipp.* 13. *c.* 43.

hoc ipsum satis signi est, quidquid, præter significandi vim, habent bonitatis linguæ, adscitum id esse, non insitum, ab scriptoribus habere, non a natura: ut proinde, si vulgi sermo, a bonis scriptoribus usurpatus, sit melior, confitendum sit, non ideo bonos scriptores alios alias linguas delegisse atque usurpasse, quod eæ reliquis meliores essent, sed ideo factas eas esse reliquis meliores, quod sint a bonis scriptoribus delectæ atque usurpatæ.

Quid mihi tu igitur gravitatem, quid splendorem, quid suavitatem, quid admirandam tuæ linguæ pulchritudinem prædicas? cur illam tantopere amplexaris, & tamquam filiolam deoscularis tuam? quid te mihi molestum offers? quid meas obtundis aures? quid te jactas magnificeque circumspicis? quid peregrinos insectaris? quid irrides? quid barbaros vocas? Nemo est barbarus lingua, sed moribus. Nulla non lingua gravis, nulla non splendida, nulla non suavis, nulla non pulchra est, si quis eam modo probe calluerit, eaque uti vel loquendo vel scribendo scienter possit (*a*). Itaque, si quemvis despectissimum ser-

(*a*) Cic. lib.2. de Orat. c.146. „ *Eæ* (res & sententiæ) *vi sua verba parient; quæ semper satis ornata mihi quidem videri solent, si ejusmodi sunt, ut ea res peperisse videatur*. Et lib.3. c.177. *Non enim sunt alia sermonis, alia contentionis verba, neque ex alio genere ad usum quotidianum, alia*

sermonem homo poliundæ orationis non ignarus assumserit, eumque artificio quodam extrinsecus adhibito, quo & minus plebejas voces deligat, & quas delegerit, apta inter se compositione collocet; præsertim vero rebus amplis, magnificis, gravibus, non minutis, non humilibus, non ineptis adjungat; modo propriis, modo translatis utatur; denique omnia, quibus excultæ jam linguæ maxime commendantur, in sua illa excolenda conquirat: si quis, inquam, talis artifex despectissimum quemvis sermonem, ita, uti dictum est, excoluerit ac perpolierit; hunc necesse est, & gravem, & splendidum, & suavem, & pulchrum haberi. Quod quidem ipsum licet etiam e contrario intelligamus. Nam, si excultum jam atque ab aliis perpolitum sermonem quemvis rudis homo atque hujuscemodi artificii ignarus

---

alio ad scenam pompamque sumuntur: sed ea nos cum jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus & fingimus. Itaque tum graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus. Sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus, idque ad omnem rationem & aurium voluptatem & animorum motum mutatur & vertitur. Et lib.3. de Fin. c.19. *Cum de rebus grandioribus dicas, ipsæ res verba rapiunt. Ita fit cum gravior, tum etiam splendidior oratio.* Et de Orat. l.3. c.125. *Si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, exsistit ex rei natura quidam splendor in verbis.*

rus usurpet, levem, abjectam, invenustam, ingratamque hujus orationem ferre quis potest? ut omnino bonos, qui putantur, sermones malorum scriptorum non minus adspernemur, quam malos bonorum expetamus. Atque hoc quidem in genere scio, mediolanensi sermone, quo multa Carolus Maria Magius elegantissime scripsit, & me & alios vehementer esse solitos delectari. Neque tamen admodum eleganter loqui Mediolanenses existimantur. Quis sermo magis, quam Ligurum, nostris quidem auribus inconditus atque absonus habetur? Eum tamen Paullus Folieta vario scriptorum genere mirifice exornavit. Cavallus vero ex eadem gente, homo ingenii felicissimi, atque ad omnia, quod de Catone dictum accepimus, versatilis, ad eam pulchritudinem ac venustatem patriam linguam suis scriptis evexit, ut illa (fidenter dicam) possit tali scriptore freta, cum quavis ex elegantissimis de dignitate certare. Quid? si pari ingenio ac facultate homines eamdem novorum & multiplicium scriptorum genere tractandam excolendamque susciperent? Nonne necesse esset, eam brevi tempore in pretio atque in existimatione, addo etiam in usu esse? Nam qua ulla ratione alia, aut græca, aut latina, aut etrusca in hanc gloriam, in qua nunc sunt, celebritatemque venerunt? Sed & illa, & pleræque italicæ, miseræ atque infelices, nimirum jacent; carent luce; neglectu hominum atque fastidiis obsolescunt. Non eas alieni expetunt, quod suis contenti sunt: non sui adjuvant; vel quia desperant,

rant, se quidquam profecturos, vel quia utilius putant, magisque e re litterarum publica, & privata sua fore, si, quas frequentari celebrarique a plerisque sapientibus viris vident, eas quoque ipsi colant.

Atque hoc quidem non singulorum hominum, sed universarum nationum judicium, quæ suas linguas negligunt, ut probatas jam atque receptas amplectantur, quid valeat, Florentini, mecum, quæso, considerate. Intelligetis profecto, non eam linguam, quæ patria cujusque sit, sed quam potissimum sapientes viri probaverunt, quæque est & publicis litterarum, & privatis litteratorum hominum rationibus maxime profutura, esse & præstantissimam & reliquis omnibus anteponendam. Nam, si patria, vi sua aut dignitate aliqua, valere posset; si cæteris aut gravitate, aut splendore, aut suavitate, aut alia præcipua ipsius dote præstaret: posset hoc nobis fortasse concedi, ut patriæ linguæ caritatem & cujusvis auctoritate & quavis utilitate potiorem duceremus. Cum vero nulla in linguis præcipua insit ac sua dignitas, sed sit omnium par vis atque una conditio; cumque aliæ tamen aliis communi sapientum virorum consensu, & certa quadam atque insigni utilitate præter cæteras commendentur: quid causæ satis justæ afferre quisquam potest, quamobrem non, nisi patriam, suspiciat ac colat, cæteras vero despiciat ac negligat? Sed suum licet quisque judicium de se ac de suis rebus sequatur: erret sane sibi: periculo suo, quoniam ita vult, peccet. Cur

tu

tu etiam mihi sapientissimorum hominum judicia reprehendas? cur te interponas? cur eorum auctoritatem apud me valere tua interpellatione non finas? cur me quoque, hominem simplicem, rerumque ignarum, in errorem inducas? cur mihi eum fructum, qui ex cognitione talium linguarum percipi potest, invideas? Habeto tu tibi tuam, quam optimam judicas: me patere, magnas quasdam utilitates sequentem, sapientum judiciis stare.

Intelligitis, ut opinor, Florentini, quid in hac re mihi displiceat, quid reprehendam, quid probare non possim, & quos hæc mea significet, &, quamquam tacita, satis appellet oratio. Nam quosdam profecto fuisse in Italia, atque esse etiamnum scitis, quos tantum ac tam perversum suæ linguæ studium tenuerit, hodieque teneat, ut ei non satis se facere posse arbitrarentur, nisi latinæ, non unius (ut sunt ferme cæteræ) sed omnium gentium judiciis & ipsa utilitate probatissimæ, horribile ac nefarium bellum indixissent. Quid heic ego vobis in eam olim dicta, quid scripta, quid facta commemorem? cum quidem alii inopem atque egentem; alii rudem atque impolitam; alii & dictu asperam, & auditu insuavem esse criminarentur. Stilus etiam in miseram atque immerentem a crudelissimis latronibus acuebatur; illique, tamquam hominum generi perniciosæ, & puerilis præsertim ætatis in scholis grammaticis corruptrici, vis indignissima afferebatur. Excutiebantur e manibus ingenuorum latini libri;

ita-

italici subjiciebantur, atque illi maxime; quibus ejus salus, nomen ac dignitas liberrime petebatur. Armabatur in matrem filia: cui quidem impia tela ab impurissimis procis ministrabantur. Jactabatur in Italia, in Italia inquam, regno olim suo, illa gentium atque imperiorum princeps, quæ leges orbi universo dixerat, quæ humanitatem feris gentibus invexerat, cujus sapientia atque institutis sunt hominum semper mores exculti: neque tantam illi Gothorum immanissimæ gentes, e Ponto erumpentes, atque in Italiæ pestem ac vastitatem effervescentes, obscæno ore, ac barbaris moribus perniciem importarunt, quantam isti, in Italia nati atque alti, dictis, scriptis ac factis suis per summum scelus atque immanitatem afferre voluerunt. Nec nihil vero tanto sunt furore ac tantis contentionibus consequuti. Si non vitam, quam petebant, ademerunt, at cruenta quædam certe spolia reportarunt. Viluit post ea reginæ ac principis linguæ apud nonnullos auctoritas: restincta sunt illa animorum, quæ prius fuerant, incensa studia: plurimum operæ italicis litteris, minimum latinis dabatur: minoris perfectum latinum gravis hominis atque eruditi poema, quam italici quattuordecim hendecasyllabi inepti amatoris æstimabantur: nobilium ædes atque aures italicis cantiunculis patebant, latinis aut versibus aut orationibus erant obstructæ. Quid agerent boni viri, ac bene de litteris sentientes, non habebant. Vocem latinam publice mittere, ratio non erat; acclamatio-

ne enim multitudinis imperitæ, atque conviciis compressa esset: latina porro abjicere, & sua & majorum judicia damnare (qui tantum in iis operæ studiique posuissent, quibusque auctoribus ac principibus in Italiam post longum exilium veluti postliminio rediissent, sive potius diu exstincta atque sepulta iterum in hanc lucem, & in hujus cæli spiritum adspectumque venissent) sane nolebant. Quid facerent? Sibi & musis, id quod restabat unum, canebant: libellos suos posteritati reservabant; quam mox, & sibi & latinis æquiorem, spe quadam inani falsaque inducti, exorituram augurabantur.

O hominum prudentissimorum minime vera rerum futurarum auguria! o spem fallacem! o vanas atque inanes cogitationes! Nondum defæviit, Florentini, temporum illorum tamquam procella: adhuc in miseram latinam linguam tota passim Italia acerbissime debacchatur. Nova successit veteri ætas: sed ingenium, quod olim fuit, Italorum manet. Favent, adulantur, blandiuntur, &, si hoc etiam verbum exspectatis, linguæ lenocinantur suæ. Unam esse tamquam virgunculam, omnium elegantissimæ formæ, unam decoram, unam expetendam, unam, ut ita dicam, procandam putant. At vero latinam, tamquam ætate jam grandi effœtam anum, turpem, rugosam, edentulam, deliram, aversantur, respuunt, derident, exsibilant, insectantur. Quid litteratorum hominum conventus, quas Academias vocant, nullo non in Italiæ angulo instituti, num, nisi ad italica recitanda,

at-

atque audienda celebrantur? Ecquem jam Italorum non propemodum pudet latinum aliquid in ejusmodi conventus afferre? Libri vero si qui eduntur, nonne plurimi sunt italico, vix aliqui latino sermone conscripti? Quin etiam permulti Italorum sunt, qui italice latina ipsa perscribunt; quique ob eam rem modo videntur latinam linguam didicisse, ut latina scripta perditum eant, & ne omnino nos latinis ullis litteris indigeamus, immo ne discere, aut unde aut quæ didicerunt ipsi, possimus. Nam, quo illa tanta nonnullorum latinos veteres, eos præsertim, quorum est frequentior in gymnasiis usus, italice interpretandi cura studiumque pertinet, quidve est tandem effectura, nisi ut paullatim latina scripta, tamquam minus jam necessaria, negligantur; iisque neglectis, ex quibus omnis latinæ linguæ cognitio petitur, olim homines latine nescire cogantur? Et vero, quantam perniciem putatis juventuti latinitatis studiosæ, quantam industriæ moram esse allatam; quantam desidiam animis, quantamque securitatem, istis istorum interpretationibus, ingenera tam? Qui si id agunt, ne sint otiosi, ne omnino nihil agant: pergant, per me licet, latinorum scripta italice interpretari: edant etiam interpretationes istas suas, si volent. Ineptos libros modo emere non cogaris, edi ab suis auctoribus ferre animo æquo possis. Verumtamen eo negotii sui fructu contenti sint: hanc exstare otii sui rationem satis habeant: nihil præterea petant, nihil sibi arrogent: neque putent, se quid-

quidquam vel latinis litteris non nocere, vel italicis interpretandi ista ratione prodesse.

Namque hanc scitote, Florentini, afferri tum ab istis interpretibus, tum a reliquis italico, non latino, sermone scribentibus causam, cur id faciant, quod nempe plurimum & homines itali italicis scriptis adjuventur, & italicum nomen italicis quamplurimis scriptoribus illustretur. Nam latina quidem, inquiunt, ignota sunt italis, neque vero, nisi & longo tempore, & multo labore nota esse possunt. Cur non igitur potius latina ista italice hominibus italis proponamus, atque ita eos labore discendi latinam linguam levemus, & celerius ad doctrinarum cognitionem ducamus? an latini græce latinis hominibus scribebant? an non græca in latinum transferebant? an non plane id agebant, ut græcis litteris non indigerent? an non græcorum omnem doctrinam ad se transtulerunt? an non ita immortalem sibi gloriam compararunt, præclare de litteris ac de litteratis meriti, qui quidem non modo suos, verum nos etiam præstantissimas quasque facultates suo, hoc est, noto sermone docuerunt? cur non idem italis permittatur? cur non ita scriptorum & multitudine & præstantia italicum nomen italis liceat latinorum exemplo illustrare?



Jam est apertius, quam ut testificatione mea indigeat, Florentini, istos, qui hæc loquuntur, latinæ linguæ non decus, sed caput, ut ajunt, petere. Auditis enim, & industriam in ea addiscenda vituperari, &

 lati-

latinorum, qui latinis contenti essent, exempla commemorari: quasi vero (ut hoc primum causæ firmamentum labefactare incipiam) aut ita latini sua adamarint, ut græca contemserint, aut ita latina perfecerint, ut eadem græcis non indigerent. Quod si umquam latini contenti suis esse potuerunt, fuit id certe per ea tempora, quibus Tullius, Virgilius, Horatius, aliique præstantissimi scriptores floruerunt: quorum tum doctrina tum sermonis elegantia factum est, ut illorum illam ætatem Auream nominaremus. Atqui Tullium ad Demosthenem, Virgilium ad Homerum, Horatium ad Pindarum, alios item ad alios ex græcis scriptoribus totos se contulisse scimus; eosdemque romanis ac latinis hominibus fuisse auctores, non exemplo modo, verum etiam voce, ut græcorum volumina diu noctuque sibi putarent manu esse versanda. Erat jam Æneis illa, divinum hominis opus, toto Latio vulgata, & latinorum omnium testimoniis (quorum nonnulla consignata litteris ad nos usque pervenerunt) judiciisque comprobata. ex Homeri tamen tamquam fluentis haurire ad usus suos necessaria latini poetæ non desistebant. *Adspice Mæoniden* (eorum ingeniosissimus atque elegantissimus quidam dicebat) (a) *Adspice Mæoniden: a quo, ceu fonte perenni, Vatum Pieriis ora rigantur aquis*. Exacta autem aurea illa felicique ætate, cum nihil Latio deesse videretur, quod quidem ad liberales quasque disci-

(a) Ovid. *Am.3. El.9. v.11.*

disciplinas pertineret, quod non ab suis ipsorum scriptoribus & tractatum & perfectum esset: græca tamen studia a latinis non modo non negligebantur, verum a prima usque pueritia diligentissime colebantur. Ex quo illud est Quintiliani, (*a*) rhetoris sane doctissimi: *A sermone græco puerum incipere malo . . . quia disciplinis quoque græcis prius instituendus est, unde & nostræ fluxerunt*. Mirari igitur satis non queo, potuisse italicæ linguæ amatoribus idoneos videri latinos, quorum exemplo itali ad latinam linguam negligendam, & suam modo frequentandam uterentur: cum illos tum quoque, cum satis multa eaque perfectissima haberent, græcis tamen esse usos videamus. Nam illud, opinor, non dicent, meliora facta esse ab italis latina, quam ab latinis græca sint facta. quod si dicerent, quis non eos risu potius, quam oratione esse refutandos putaret?

At certe, inquiunt, multa græcorum in latinum sermonem romani homines convertebant. Primum nescio, an tam multa ea fuerint, quam putatis, & quam multa sunt ea, quæ vos ex latino in sermonem italicum convertistis. Sed fuerint sane. Quid tandem id ad rem pertinet? Num, si quando hoc fecerunt, non utilitatem aut suam aut suorum sequuti sunt, sed græcarum litterarum interitum (quod vos de latinis, in latinis convertendis, cogitatis) & desuetudinem inducere voluerunt? Quædam ex

(*a*) L. 1. c. 2.

græco fermone Cicero in latinum tranftulit; Arati Phænomena, Xenophontis Oeconomica, Platonis Timæum; eaque admodum adolefcens, annos vix tres & viginti natus. Qui quidem exercitatione id confequi modo voluit, quod fe quoque adolefcentem alia quadam non diffimili effe affequutum L. Craffus apud eumdem Ciceronem libro primo de Oratore teftatur: *Poftea*, inquit, *mihi placuit, eoque fum ufus adolefcens, ut fummorum oratorum græcas orationes explicarem; quibus lectis hoc affequebar, ut, cum ea, quæ legeram græce, latine redderem, non folum optimis verbis uterer, & tamen ufitatis, fed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova noftris effent, dummodo effent idonea*. Id ipfum ego chriftianum illum Ciceronem, Paullum Segnerum (cujus hominis, non mea tantum, fed omnium doctorum fententia, quo fimiliores, eo meliores itali oratores evadunt, tantumque ab fummi perfectione, quantum ab Segneri imitatione, recedunt) id ipfum, inquam, fpectaffe arbitror: quem Ciceronis in Verrem orationes feptem, quas habemus, non modo multum & fæpe legiffe, atque adeo defcripfiffe, fed etiam etrufcas feciffe memoriæ proditum eft. eodemque confilio ufum præftantiffimum poetam Torquatum Taffum Virgilii Æneidem italice reddidiffe (id quod fcriptum apud nonnullos video) exiftimare debemus. Hoc ego non reprehendo. italice fcripturis utile eft, quemadmodum olim latinis latine græca convertere, fic iis horum latine fcripta, italica interpretando facere. ne-

neque vero ipsis modo, verum iis etiam, qui latine nesciunt, est id vehementer utile: cujus similem utilitatem, si qui latine olim græca interpretati sunt, sibi etiam proponere potuisse non nego. Verum hæc tota atque hujusmodi interpretandi ratio quam vim tandem habet? num eam, ut parvi eum sermonem faciamus, qui est in alium interpretatione conversus? immo eam, ut magni eos ipsos sermones æstimemus, in quibus convertendis, sive ad suas, sive ad suorum utilitates, doctissimorum interpretum industria elaboravit. Quantum igitur ad negligendam latinam linguam valere debet, quod isti dicunt? latinos homines fuisse latine græcorum scripta interpretatos. Quasi ea re illi italis licentiam dederint, italicis suis solum interpretationibus, omissis latinorum scriptis, utendi.

Quid? illa multumne valent? nimium & laborem in latinis addiscendis, & tempus impendi: cui incommodo italicis litteris occurri. Videte, quantum inter meum atque istorum judicium intersit, Florentini. Ego enim sic statuo: multo esse ad diuturnitatem longius, multo ad laborem molestiamque gravius, si vernacula lingua, quam si latina, doctrinæ artesque tradantur. Etenim, si hoc fiat, satis est latinam linguam ab litterarum studiosis perdisci: id quod labore certe aliquo, at non admodum improbo, at non sane diuturno consequi non hebes neque indiligens quivis potest. Fac autem, in earumdem litterarum tractatione a singulis quibusque gentibus linguam usur-

pari vernaculam. Pro Deus immortalis! quis tanta mentis acie præditus reperietur, qui non animum plane despondeat, a studioque doctrinæ deterreatur, ubi sibi (siquidem velit eruditionem etiam peregrinam, atque exterorum hominum doctrinam non ignorare) præter vernaculum, græcum etiam, latinum, hebraicum, illyricum, persicum, polonicum, arabicum, anglicum, scoticum, hybernicum, batavum, germanicum, hispanicum, gallicum, italicum, omnes denique omnium scriptorum sermones esse cognoscendos intelligat? Certe, qui vel ipsos latinos græce, non latine, scripsisse mallent, ut homines studiosi unam modo linguam, non duas, ut nunc fieri necesse est, discere cogerentur, id optant, quo multum profecto humani ingenii imbecillitati, in hac vitæ brevitate, consuleretur. Isti autem misericordes homines atque humani, ut nos labore latinam linguam discendi levent, tum latinam ipsam nos discere, tum reliquas omnes præterea cogunt.

Quid? quod majorem etiam, quam nobis, laborem posteritati atque onus imponunt? Vere enim ait Horatius:

Ut Silvæ foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Quod sane ita esse & latinæ linguæ, & italicæ ipsius, denique omnium, quæ sunt aut fuerunt, tam multis vicissitudinibus, quas non longis annorum intervallis contigisse

gisse constat, plane omnes intelligunt. Ergo, si italica quoque hæc, quæ nunc viget, quamque isti nos unam discere, ne alias cogamur, volunt, confectis aliquot sæculorum cursibus, obsoleverit, atque adeo interierit; novaque in Italia atque alia plane successerit (qualis italica hæc ipsa latinam olim excepit) quid illam futurorum hominum prolem, in alia tum lingua natorum, facturam, o vos vernacularum patroni, putatis? probaturosne eos italicam hanc, quæ hoc quidem tempore popularis est, nobisque vernacula? Qui poterunt? Si vere dicitur id, quod certe dicitis, solas esse vernaculas quibusque gentibus probandas, non poterit illa posteritas hanc, quæ sibi vernacula non erit, certe probare; nec volet, vestra auctoritate argumentisque commota, laborem & tempus in aliena lingua consumere: suo ipsius sermone doctrinas omnes artesque perscribet. Quid tum huic vestræ fiet, quam tantopere deperitis, pro qua tam vehementer laboratis? vestris sententiis, vestroque, ut ita dicam, gladio misera jugulabitur. Quod si hanc quoque vestram, quæ venturæ illi posteritati vernacula non est futura, probari tamen ab ea, usurparique malletis: cur vos latinam, quod nobis non sit vernacula, esse nobis improbandam statuitis? cur non hanc potius vestræ illi posteritati, egregiis doctrinis instructam, transmittitis; ne ea, præter vernaculam suam, ipsamque latinam, atque alias omnes, etiam hanc vestram discere majore certe cum labore ac temporis impendio cogatur?

Non moventur homines pertinaces, ac propemodum inhumani. perstant italicam hanc & iis, qui nunc vivunt, & iis, qui victuri olim sunt, præter cæteras omnes, ac præcipue latinam, commendare. ad latinos ipsos provocant; & latinorum judicio latinam ipsam linguam posse condemnari putant. ajunt enim: Latinos non græce, sed latine scripsisse: Italos propterea non latine, sed italice scribere potissimum oportere. In quo illud primum reprehendendum est, quod negant, latinos græce scripsisse. constat enim, qui id præclare se facere posse arbitrarentur, facere non omisisse. fecit Lucius Lucullus (*a*); fecit T. Pomponius; fecit M. Tullius; fecit Acilius; fecit Ælianus (*b*); aliique nonnulli fecerunt. Sed certe non multum græce romani homines latinique scripserunt. Cum enim eruditissima græcorum natio egregias omnes maximeque liberales disciplinas non tractasset modo, verum etiam mirifice scriptis illustrasset suis, non putarunt, quidquam se nomine romano dignum in eodem scribendi genere posse præstare; neque noctuas, ut græco proverbio dice-

(*a*) De Luculli historiis græce scriptis Cic. ad Attic. lib.1. Ep.19. De T. Pomponii græco commentario Cic. ad eumdem l.2. Ep.1. De Acilio Cic. l.3. de officiis c.115.

(*b*) Claudius Ælianus Prænestinus (ex Suida) græce scripsit variam historiam, & historiam de Animalibus: quem Philostratus l. 2. de vitis Sophistarum affirmat, extra Italiæ fines numquam fuisse egressum.

dicere consueverant, mittendas esse Athenas censuerunt. Accedit, (*a*) quod romano spiritu superbiaque elati, non quid alieni, sed quid sui de se existimaturi essent, laborabant. itaque eo fere sermone scribebant, qui a suis, non qui aut a græcis aut ab aliis gentibus, quarum erat illis vulgo despectum nomen, intelligeretur. Denique id maxime spectabant, ut Græcis, quorum opes fregerant, imperiumque terra marique sustulerant, litterarum quoque gloriam adimerent. Quid simile in Italis? Num, si latine scripserint, timent, ne ob eam rem aut non sive a suis, sive ab exteris intelligantur, aut eorum scripta, tamquam vulgaria ac minus necessaria, repudientur? Scribant, modo ita, uti oportet, hoc est, polite atque sapienter: nec dubitent, quin plurimis doctissimisque hominibus ea, quæ scripserint, expetantur. Etenim, si ratio omnium erudi-

(*a*) Atque hinc illud M. Antonii apud Cic. l.2. de Orat. c.153. *Semper ego existimavi, jucundiorem & probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quamminimam artificii alicujus, deinde nullam græcarum rerum significationem daret. Atque ego idem existimavi, pecudis esse, non hominis, cum tantas res græci susciperent, profiterentur, non admovere aurem, &, si palam audire eos non auderes, ne* minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, *subauscultando tamen excipere voces eorum, & procul, quid narrarent, attendere.*

torum, qui ubique terrarum sunt, ineatur, multo esse plures hoc tempore, qui latina intelligunt, latinisque litteris delectantur, quam romanorum florente republica, reperientur. Græca tum maxime apud omnes fere gentes celebrabantur, latina, ut ait Cicero pro Archia, suis sane exiguis finibus continebantur. Quid ergo est? cur isti italice, non latine, & scribunt ipsi, & ab italis omnibus scribendum censent? Illud est profecto, id spectant, id moliuntur, id agunt, ut Latinis eam scriptis suis præripiant litterarum gloriam, quam Latinos Græcis adimere voluisse paullo ante commemoravi. O homines cum stultissimos, tum vero etiam maxime ingratos! hanccine vos Latinis, vestris majoribus, referre gratiam, ut, a quibus tantam rerum omnium gloriam accepistis, quantam exteræ gentes prope jure vobis invideant, de eorum vos gloria minuenda, atque adeo exstinguenda, cogitetis? siccine vos mortuorum voluntatem negligere, & eorum conceptæ spei atque exspectationi non satisfacere, ut, siquidem imperium, quod vobis reliquerunt, retinere non potuistis, ne sermonem quidem, exiguam illam quidem, sed tamen unam reliquam tanti patrimonii partem, conservare velitis? quæ (malum!) hæc est tanta perversitas! quæ hæc tanta importunitas! quod hoc tantum rerum avitarum, domesticæque memoriæ fastidium! quid faciant alieni, si tam sunt sui in suos ingrati, tam remissi, tam dissoluti?

Sed stultitiam etiam hominum, Florentini,

tini, considerate. Scilicet tam bene est rebus italicis, ea sunt tempora, ea spes ostenditur, ut galli, hispani, germani, angli, reliquæque nationes exteræ latinarum litterarum curam ac cogitationem abjiciant, quo sese impensius italicis dedant. Ab his nimirum majores quasdam, quam ab illis, utilitates se esse consequuturos sperant; & ita italicum hoc nomen suspiciunt, ut præ illo latinum, atque adeo suum, contemnant. Numquam sane externi homines, qui in italicis litterarum monumentis operam aliquam studiumque ponerent, defuerunt, nec vero deerunt: quod itali quoque in illorum cognoscendis multi fecerunt, suntque facturi. Verum hoc tantum popularium linguarum studium, & hæc nonnullorum patrio sermone scribendi sive voluntas, quod ita malunt, sive necessitas, quod latine non possunt, facit, ut & illi nostris, & nos illorum litteris indigeamus. at certe utrique malle debemus, ut, quæ cognita sunt omnibus profutura, ea ab omnibus non ignoto, ut cuique sunt fere peregrini, sed noto, qualis latinus est, sermone scribantur. Quod si jam non plurimum latina valuerint, si patrius alicujus gentis sermo est in latini locum aliquando regnumque venturus, citius profecto, in hac tanta exterarum gentium colluvione, in tam crebra dominorum mutatione, tamque repentinis rerum italicarum ac tantis conversionibus, quantas & legimus & audivimus & meminimus & videmus, dediscent Itali italice, & peregrino nescio cujus exteræ nationis loqui ser-

mone condiscent, quam ut italicum sermonem exteris nationibus invehant. Sed superi meliora. Vigebit, vigebit inquam, italicus in Italia sermo, nec ullo umquam tempore, aut ulla peregrinitate delebitur. Et vigeat sane: nam & copiosus est, & commodus, & summis ingeniis excultus atque perfectus, & certe nobis, sive italis, sive inter italos agentibus, necessarius. Verumtamen latino plurimum tribuat, nec cum illo de dignitate contendat: qui, quemadmodum ostensum est, sua vi atque natura nihilo inferior est, omnium vero gentium opinione, atque ipsa utilitate, multo superior. Dixi.



ORA-

ORATIO IV.

PRO SCHOLIS PUBLICIS PRIMA

HABITA FLORENTIÆ
XVII. KAL. FEBRUARIAS MDCCXXXVII.

CORAM

FRANCISCO MARIA MARTELLIO

FLORENTINÆ CIVITATIS ARCHIEPISCOPO.



Uum animadverterem, Florentini, publicas per Italiam scholas gravi ac diuturna apud nonnullos infamia flagrare; eoque rem pæne adductam viderem, ut non nisi privata intra domesticos parietes adolescentulorum institutio probaretur; idque non modo publicis doctoribus injuriosum, verum etiam doctrinis ipsis esse maxime infestum intelligerem: rem ipsam ad vos, tamquam ad legitimos quosdam, disceptatores æquissimosque judices, deferendam, causamque tot hominum honestissimorum, tot illustrium gymnasiorum, litterarum denique ipsarum esse mihi ex hoc loco suscipiendam putavi. Quod si hanc tam malam de scholis publicis opinionem ipsi sua sponte itali homines suscepissent, suaque in hac re, non aliorum judicia atque auctoritatem sequerentur; fortasse alio orationem meam convertissem, atque huic omni causæ ac contentioni supersedissem. etenim Italorum ingeniis, & in re litteraria constituenda atque ordinanda prudentiæ tantum tribuo, & ab omnibus tribuendum puto, ut, quo-

quoties de litteris agatur, quas ipsi e Graecia arcessitas apud se omnium principes collocarunt, & gentium barbararum colluvione deinde exstinctas ad vitam longo intervallo revocarunt, revocatasque usque ad hoc tempus summa cum earum suaque dignitate retinuerunt, nemo mihi aut cuiquam gravior esse auctor debeat. Italos, Italos inquam, bonarum litterarum parentes, de litterarum ratione praecipientes, & sive vetustas consuetudines tollentes, sive novas inducentes, aequo animo, immo & libenti feram. Illud vero ferre quis possit? submitti quotidie e transalpinis transmarinisque regionibus non modo archetypas illas comendi capitis, totiusque corporis vestiendi ornandique arbitras, & modestiae gravitatisque italicae corruptrices pupas, verum etiam levissimos quosdam, & non nisi stultitiae atque impudentiae plenissimos libellos; quibus non dicam (id, quod vere dicere graviterque possim, si theologi doctoris personam agere, non rhetoris velim) credendarum a christiano pioque homine, faciendarumque rerum summa convellitur; sed certe (id quod theologo minus dolendum est, verum italo rhetori deplorandum est magis) Italorum sapientissima ac vetera doctrinarum instituta, atque universa humanitatis tradendae ratio libere aperteque reprehenditur atque emendatur. Atque ut intelligatis, quae isti in publicis Italiae, atque adeo omnium gentium gymnasiis, & quam sine ulla satis probabili ratione, reprehendant: colligam prius ac breviter recensebo criminationes eorum omnes;

omnes; tum singulis, quam accuratissime planissimeque potero, respondebo. Si qui autem in hac frequentissima lectissimaque concione adsunt, qui, sive eorum, quos contra dicturus sum, auctoritate permoti, sive suo ipsorum judicio persuasi, cum illis sentiant: peto ab iis, ut ne me putent (postremum quidem omnium, qui non modo in hac urbe, sed in universa Italia sunt, verumtamen publicum præceptorem) hoc publicarum scholarum patrocinium ob eam rem deserere debuisse, quod ipsi obtrectatorum nostrorum numero accreverint, ac, tanquam auxiliaria ex Italia manus, in castra externorum hostium advenerint. Quod si licere sibi arbitrantur, institutum hoc totius Italiæ publice docendi criminari, nosque ipsos, qui in eo versamur, reprehendere: interdictum nobis existimare non debent, quo minus reprehensi rationem facti nostri reddamus, & gravissimas nostrarum scholarum criminationes depellamus. Quos quidem ego confido, si me diligenter æquisque animis attenderint, non modo mihi hujus defensionis meæ veniam daturos, sed etiam sensuros nobiscum, & ex adversariorum præsidiis perfugas in nostra castra venturos.

Publicarum scholarum gravissima hæc isti esse ajunt incommoda: primum, quod delectus fieri magistrorum non possit, sed, quoscumque sors obtulerit, atque adeo minus etiam aliquando idoneis volenti discere sit utendum: ii autem ipsi ne tamdiu quidem possint, quamdiu discentium utilitas requirit, retineri; sed sæpe sint in medio cursu amit-

amittendi, cumque aliis, nonnumquam deterioribus, commutandi. Deinde, quod tam multis auditoribus, quot ad ſcholas publicas confluere vulgo ſolent, unus ſufficere doctor nequaquam poſſit: qua etiam ex re fieri, ut diutius, quam neceſſe ſit, iiſdem in ſcholis diſcipuli detineantur. Tertio denique, quod in tanta omnis generis juvenculorum multitudine ac contubernio non niſi peſſime bonis moribus conſulatur. Videtis, tria eſſe omnino crimina ab iſtis in publicas conjecta ſcholas: primum de genere doctorum: alterum de diuturnitate docendi: tertium de moribus.

Heic ego, ſi paucis agere, totamque criminationem una interrogatiuncula, tamquam machinam aliquam uno impulſu, labefactare velim atque pervertere, facile poſſim, Florentini. Quæram enim: ſi vere iſta dicuntur, quinam fieri potuerit, ut publicis e ſcholis tam multi in omni temporum memoria doctiſſimi ſanctiſſimique viri prodirent? Namque, ut ne ex hac urbe diſcedam, & ne non modo viventes nullos (qui multi ſunt, civitatis lumina, & litterarum græcarum latinarumque decus ac columen) ſed ne mortuos quidem ullos, quos noſſe plerique veſtrum non potuerint, nominem: duo certe paria, quæ inſtar multorum eſſe poſſint, utrumque ſingulare atque excellens, ſed alterum in altero genere præſtantius, Benedictum Averanium, atque Antonium Mariam Salvinium, Thomam Bonaventuram Gherardeſcam, atque Aloyſium Mariam Strozzam ex hoc ipſo gymnaſio, quod mihi nunc

nunc eſt concreditum ac commendatum, memoria hac noſtra vidimus exſtitiſſe. Poſſem etiam illa commemorare, quæ valere certe multum deberent: apud omnes paullo humaniores gentes nullo non tempore publica gymnaſia diſcere volentibus patuiſſe: tantamque hujuſce rei, præſertim apud Romanos illos veteres, auctoritatem ac veluti religionem fuiſſe, ut plurimæ ex condiſcipulatu, arctiſſimæque neceſſitudines in omnem deinceps reliquam vitam conſtituerentur. Tum quærerem: num aut in hujuſmodi gymnaſiis inſtituendis erraſſe, aut, ſemel inſtitutis, non incommoda, ſi quà erant, poſtea vidiſſe, aut, ſi vidit, non ea, ſublatis ipſis gymnaſiis, corrigere voluiſſe tota antiquitas judicanda ſit? Hæc ego omnia prætermittam; ſatis illa quidem firma per ſeſe atque illuſtria, verumtamen, propterea quod nimis univerſe dici viderentur, non perinde, ut ego velim, ac res ipſa poſtulat, pondus apud nonnullos atque auctoritatem habitura.

Placet igitur pedem, quod ajunt, propius conferri, & ſingulas criminationes ſuis ac propriis reſponſionibus refutari. Ac primo quidem, quod queruntur, magiſtrorum delectus tolli, eligendique optimos quoſque poteſtatem adimi, iiſque neceſſario eſſe utendum, non quos maxime probaverimus, ſed quos ſors ipſa in publicis ſcholis obtulerit: quid, ſi optimos quoſque ſors ipſa in publicis ſcholis offerret? num magiſtrorum delectus illos, eligendique liberam poteſtatem magnopere deſiderari oporteret? Atqui

ſic

sic se res habet: ut optimi quique magistri fere non nisi in scholis publicis reperiantur. In quo nonnullorum eripiendus est error, qui ita putant: docendi rationem optimam sic esse cum summa doctrina conjunctam, ut ab ea separari divellique non possit; nihilque inter doctum hominem, atque doctorem interesse; ut, qui maxime doctrina excellat, idem maxime sit ad docendum accommodatus. Id est longe secus. Doctos ego homines possim quam vis multos proferre, qui se ipsi tamen minime idoneos ad docendum & agnoscent & fatebuntur. Laborem hæc res præcipuum quemdam, ærumnas maximas, incredibiles molestias affert: innumerabiles discentium ineptiæ, stultitiæ, nequitiæ devorandæ sunt: levitas, garrulitas, ferocitas, tarditas, cessatio ferenda est. Qui se non ante animi invicta quadam patientia tolerantiaque munierit, is, quamvis doctus sit, non poterit hoc munus diutius sustinere: quin immo, quo erit ipse doctior atque ingeniosior, hoc se minus esse aptum adolescentulorum ingeniis excitandis atque instituendis intelliget. Magis enim discentium tarditate aut negligentia commovebitur. Nam, ut præclare Tullius (a). *Quo quisque est sollertior atque ingeniosior, hoc docet iracundius. Quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi videt, discruciatur*. Maxime vero eodem accedat communicandæ doctrinæ quædam facultas oportet; ut neque plura tradantur, neque subtilius,

(a) *Pro Qu. Rosc. Com. c.31.*

btilius, neque jejunius, quam discentium est captus. Quam certe facultatem sæpe ab doctissimis abesse viris videmus. Si quando igitur doctores omnium optimos quæremus, non continuo doctissimos quosque homines putemus nobis esse quærendos: statuamusque, magistrorum præstantiam non tam in doctrinæ commendatione, quam in egregia ejus tradendæ cum facultate tum voluntate consistere: neque satis esse, eos ea scire, quæ docent, nisi & sciant & velint ea ipsa docere, quæ sciunt.

Num igitur tales non fere sunt ii, quibus docendi munus est in scholis publicis demandatum? Fateor, in plerisque civitatibus reperiri aliquos aliquando posse doctiores; sed, qui melius tueri partes doctoris possint, non fere reperiri confirmo. Nam primum, non temere ad eam provinciam negligenterque adsciscuntur; sed ab iis, qui publicis gymnasiis præsunt, summa cura, ac prope fastidiose probati deliguntur. Scientia in illis earum rerum, quas professuri sunt, eaque non vulgaris, sed etiam in comparatione præstans atque excellens; morum gravitas, severitas, probitas; præcipue vero illa in docendo, quam modo dicebamus, patientia, ac communicandæ doctrinæ facultas facilitasque requiritur. Non atrocior animadversio, non dissoluta indulgentia, non operis vacatio, immo ne aliarum quidem rerum occupatio permittitur. Hæc gymnasiorum moderatores scilicet curant; his invigilant, atque instant; hæc repetunt; suntque cum maxime in deligendo sollertes, tum minime etiam in pro-

probando remissi. Quod si spes illos forte fefellerit, neque satis exspectationi suoque muneri doctores publici facere videantur: paratum remedium est; magisterio cessantes removentur; diligentiores magisque idonei sufficiuntur. Verum huc quam non deveniendum est sæpe? Facit enim ipsa publici muneris amplitudo ac dignitas, hominum fama atque existimatio, studium probandi sui cum omnibus civibus, tum maxime magistratibus, contentio quædam inter ipsos atque æmulatio, vehementer sedulos in docendo atque impigros præceptores. Qui, si mercede docent, spe etiam præmiorum magnopere commoventur: si vero nullis utilitatibus suis propositis, sed civitatum atque hominum commoda, Deique in hac ipsa re voluntatem gloriamque spectantes ad docendum accedunt; dici vix potest, quanto acrioribus stimulis ad bene docendum incitentur. Nulla enim res est, quæ honestum ac probum virum ad sui muneris partes implendas vehementius impellat, quam hominum ipsorum Deique caritas. Denique, quod in reliquis artibus contingit, ut usu atque exercitatione perfecte cumulateque discantur, id in hac quoque docendi fieri necesse est. Quamobrem, etiamsi primo in gymnasia adventu non ita ab omnibus copiis parati atque instructi magistri publici reperiantur: at altero magisterii anno reperientur: si non altero, certe tertio; quarto quidem, sine controversia; quinto vero, sexto, septimo, reliquis deinceps, quis tam hebes esse, per Deum immortalem! quis tam tardus

dus plumbeusque censebitur, qui non hanc artem, in qua una tamdiu elaborarit, possit præclare perdiscere? Certe, si quis est ejusmodi, ut post aliquot annorum exercitationem non satis in docendo excellens evasurus videatur, hunc necesse est tam nullo ingenio, tamque non dicam stupidum, sed stipitem esse, ut neque voluisse is sua sponte, neque aliorum judicio ac voluntate permissus esse umquam ad docendum accedere sit existimandus. Itaque, quos unos e multis acerrima æstimatione delectos, quos suæ dignitatis, quam vident oculis & judiciis multorum esse propositam, studiosos, quos aut spe præmiorum incensos, aut Dei hominumque eximia caritate inflammatos perdiu in hoc tamquam pulvere desudare, quos id unum agere, quos docentes in scholis publicis consenescere videmus, eos profecto peritissimos quosdam in arte docendi, atque excellentissimos magistros existimare debemus: qui quidem si tales non sunt, qui potius esse debeant, plane non video. Itaque aut nulli sunt excellentes doctores, aut, si qui sunt, ii certe sunt publici. Quod si ita est: quid est, cur isti correctores atque emendatores nostri de optimis magistris eligendis laborent? Parcant operæ, si me audire volunt: alio suas curas reservent: ne actum agant. Nihil opus est electione. Habent jam Italiæ civitates a sapientissimis viris delectos; quibus meliores deligere certe ipsi non possent. Quod si deligere tamen volent, non repugnabo: modo inter istos ipsos delectos deligant. Non poterit in tan-

ta delectorum copia, quem ipsi delegerint, non esse electissimus. At certe, inquiunt, quid prohibet, privatum doctorem pari, ac publicum, esse excellentia? Immo, inquam, nihil prohibet, esse etiam, si vultis, superiore. quid tum? An nunc id agitur, possint necne boni privati aliqui doctores esse; an vero, utrum publicos deseri, mali quod sint, oporteat? Bonos ego hos, immo, si diligenter attendistis, optimos vulgo esse demonstravi; &, quæ prima in scholas publicas criminatio jactabatur, in quibus optimorum doctorum negabatur fieri posse delectus, satis, ut arbitror, aperte dilui. Cæterum cum privatis doctoribus mihi neque ratio neque res est: quibus usque adeo non irascor, ut, si boni sint, fieri etiam publicos velim, eorumque industriam atque excellentem facultatem ex domestica exercitatione atque umbratili in adspectum lucemque proferri, & publicis civitatum commodis inservire. Sed, quoniam, quemadmodum quidem interpretor, eo vocor, ut de his ipsis, quod sentio, dicam, quoniamque universa de hac re disputatio eo pertinet, ut publicorum doctorum præstantia ex privatorum contentione magis intelligatur, non committam, ut publicis scholis patrocinium, me agente, aliqua ex parte defuisse videatur.

Age vero: quicumque privatis doctoribus tantum tribuis, ut præ his despicias publicos atque contemnas, est, quod a te mihi responderi velim: ut, si recte responderis, vincas; sin in hac responsione nullus fueris, desinas maledicere. Artemne esse

hanc

hanc docendi dicis? Artem profecto esse, sive artis quamdam similitudinem (*a*) non negabis. Nam & certa utitur ratione ac via, & tractatione, ut reliquæ artes, augescit. Nunc, quoniam esse artem dicis, quæro etiam ex te illud: facilemne artem, an difficilem esse dicas? Facilem non potes dicere; in qua nimirum negas publicos magistros, qui se multum in ea diuque exercuerunt, satis excellere. Relinquitur ergo, ut difficilem dicas. Recte est. Sed cur eam solis publicis magistris difficilem dicis? cur non statuis privatis, quam publicis, difficiliorem? necesse est enim, privatos multis partibus plures esse, quam publicos. In difficili autem arte, pauciores usitatius est excellere, quam plures. Philosophi, Mathematici, Causidici, Medici, Architecti, Pictores, Statuarii, quia eorum artes difficiles putantur, excellentes multi admodum esse non possunt. Vide igitur quid sequatur, si difficilem docendi hanc artem statuis: paucos (id quod res est) paucos inquam, posse in ea esse excellentes. Quod ego cum ita esse intelligerem, paucos nosce eosdem, non alios profecto esse arbitrabar, quam quos summa cura ad publica magisteria deligi, & in hac una arte diu multumque exerceri videbam: quorum si numerum summamque inirem, eos, pro cujusque civitatis modo, atque urbis celebritate, aut duos, aut quinque,

(*a*) Cic. de Legibus l.2. c.47. *Nam non solum scire aliquid artis est, sed quædam ars etiam docendi.*

que, aut decem, aut viginti, aut, ut multum, triginta fortasse reperiebam: neque vero civitatibus vel frequentissimis male consultum existimabam, si in artificio tam difficili triginta ejusmodi artifices excellerent. Quid tu? Difficilem esse sane hanc artem fateris; paucos propterea in ea excellentes esse posse concedis: idemque privatorum doctorum excellentiam publicorum dignitati anteponis; hoc est, triginta excellentes in frequentissima civitate reperiri posse doctores negas; centum, ducentos, trecentos, eoque amplius, totidem nempe, quot privatorum familiæ sunt, reperiri posse non negas. Quæ umquam tam florentes Athenæ tanta excellentium doctorum multitudine redundarunt? O fortunatam civitatem, in qua plures præstantes doctores, quam mediocres sutores reperiantur! siquidem multis familiis calceandis singuli sutores sufficiunt: at vero non nisi singuli singulis familiis satis esse doctores possunt. O levem! o illiberalem! o pæne sordidam artem hanc docendi nostram! in qua infimæ sortis opifices plus etiam, quam in artificiis suis, excellere se posse confidant. Publi Nigidi, Marce Varro, Cai Cæsar, Marce Cicero, Fabi Quintiliane, pudet me vestri. Quid fuit, quod tantum operæ, in scribendis tam multis de arte sive grammatica sive rhetorica voluminibus, poneretis, si hæc discere ludus est, docere cujusvis? Vos vero, sapientissimi italicarum civitatum publici doctores, monitos etiam atque etiam volo, & vehementer hortor, ut, siquidem in publica litterarum professio-

fessione exspectationi hominum satisfacere non potestis, minusque idonei, quam privati doctores, ad vestras artes tradendas existimamini, ludos vestros occludatis, publicum magisterium deponatis, & privati esse doctores condiscatis. probari enim aliter non potestis. Difficiles quidem primos in beatorum quasdam domos aditus offendetis; quod, cum e publica professione recentes sitis, putabunt homines, vos nondum, quantum satis est, esse privatos. Sed durate, *durate* inquam, *& vosmet rebus servate secundis*. Patebunt enim opinione celerius regificæ ædes, in easque ultro honorificentissimeque admittemini: si præsertim non tam litteras, quam nescio quas potiores vobiscum artes vendibilioresque attuleritis. Nam scitote, non tam heic doctorem liberis, quam domui curatorem, codici ac rationibus scribam, ruri etiam, si diis placet, villicum quæri. O tempora (nisi boni superi respexerint) litteris calamitosa! O mores hominum præposteros atque perversos! Huccine tandem omnia reciderunt, ut propterea publici tam male doctores audiant, tam vacua in singulos dies publica gymnasia fiant, tantopere domestica institutio commendetur atque invalescat, quod rei familiaris rationibus magis conducat privatos habere doctores, quam publicos? Retexo jam orationem meam. Fateor, si optimi sunt, qui sint conservando augendoque patrimonio maxime utiles, fateor, inquam, hujusmodi privatos doctores meliores esse, quam publicos: fateor, non injuria publicas scholas reprehen-

di: nec optimorum doctorum fieri in iis posse delectus, vehementer civitatibus incommodum esse confirmo. Verum mihi danda venia est, quod errore quodam populari inductus, in doctore non nisi docendi facultatem quærendam esse arbitrabar: quam cum excellentem esse in publicis doctoribus intelligerem, negabam, quidquam illis reperiri posse præstantius. Nunc, quoniam, eos esse optimos, verbi falsa interpretatione decepti, ostendere non potuimus, conemur saltem, si forte dicendo id consequi poterimus, ostendere; nihil certe in eo esse incommodi, quod interdum vel potius, ut isti ajunt, nimium sæpe mutentur.

Quid autem? Hoc publicorum doctorum magis est, quam privatorum? An non hi sæpe dimittuntur? non ipsi sæpe missionem petunt? non denique interdum atque etiam sæpe mutantur? Neque hæc mea magis sententia est, quam eorum ipsorum, qui hasce in scholis publicis mutationes ferre se negant posse. Quod ita esse, quivis vel ex hac re, quæ mihi ante paucos hos dies ipsi accidit, sane faceta ac perridicula, existimare potest. Cum enim in optimum cæteroqui, mihique amicissimum virum, sed peregrinis opinionibus nimio opere addictum, paulloque scholis publicis infensiorem incidissem, ac multa de crebra hac magistrorum mutatione, tamquam ex veteri declamatione aliqua, deplorantem ac conquerentem audissem; dixi contra nonnulla, quæ res & tempus poscere videbantur. Tum eo omni

omni sermone confecto, cum de quibusdam rebus aliis, tum ad extremum de filiolo ejus, festivissimo puero, agere inter nos sane benevolo animo cœpimus. Quem cum ego & ab ingenio & ab indole & a castissimis moribus mire laudarem: Est vero, inquit, ut dicis (nam quid dissimulem?) summa exspectatione puer, atque is, quem certe numquam me pœniteat suscepisse. Sed magistro bono est illi vehementer opus: qualem si quem inter auditores rhetoricos tuos esse compereris, scito, te mihi gratissimum esse facturum, si huic puero destinaris. Tum ego: Quid? inquam: illine, certe grandiusculo, magistrum nondum parasti? Sexcentos, inquit ille plane stomachans, sexcentos ad hanc diem paravi: sed totidem, alius alia de causa, dilapsi sunt. quamquam, si verum quæris, una fuit omnium atque eadem causa, avaritia; ut est enim genus hoc hominum maxime sordidum & illiberale, simul atque spem lucelli majoris alicujus ostentari vident, diffluunt. Heic ego porro interpellans: Honorificentius, inquam, si videtur, de honestissimo probatissimoque civitatis ordine loquitor: de discipulo autem illo meo, quid fieri possit, considerabo. Et simul arridens, cum a me jam ille discederet: Interim valde, inquam, gaudeo, magistros vestris domibus (id quod publicis scholis non contingere initio sermonis tam dolenter querebare) contingere sempiternos.

Nempe ita, ita inquam, est plane, Florentini. Una est hæc omnium scholarum,

five publicas five privatas contemplere, parque conditio, ut in iis perpetui doctores esse non possint. Quod ita tamen est verum, ut in publicis quidem perdiu multos versari, ac nonnullos etiam consenescere videamus. Qui autem minimum durant, suntque perrari, iis saltem magisterii unus est annus explendus. Quid putatis? primis illis latinæ Grammaticæ rudimentis probe ediscendis plus annuo spatio requiri? Atqui nonnulli privati doctores extiterunt (privatos dico: nam e publicis, hoc est, e rerum peritis, & ingeniorum, quæ vulgo hominum natura fert, expertis, nemo, quod sciam, usque adeo deliravit), qui non elementa modo illa, sed universam rei grammaticæ rationem traditūros se puerulis, non anno, sed sex, opinor, mensibus professi sunt. Nimium hoc quidem, ac perabsurdum: at vero æque illud falsum; primæ illi institutioni non octo mensium operam, aut summum decem, sufficere: sit modo, qui docendus est, non omnino hebes ac tardus, afferat studium, adhibeat diligentiam, præstet doctori suo assiduitatem. Hunc, in illa puerili doctrina satis instructum, si magister suus repente deserat, alterique committat; recens autem hic in fidem ac disciplinam suam accipiat, & reliquam, ut ita dicam, exædificationem, recte ac probe ab veteri jactis fundamentis, superstruat, absolutoque (id quod fieri certe potest, fitque plerumque) annuo opere atque perfecto, alteri alumnum suum tradat, politioribus quibusdam litteris, quam Humanitatem

tem vocant, imbuendum; atque hic demum rhetori formandum perficiendumque commendet: quid hi doctrinæ comparandæ gradus, quid hæc doctorum in alio quodam genere ac munere successio discentibus possit officere, sane non video.

Unum quoddam est opus, adolescentem in hisce litteris, quæ Grammatica atque Rhetorica (de harum enim magistris tota hac oratione quærimus) continentur, erudiri. Hujus autem operis multæ sunt partes; quas minime necesse est omnes unum atque eumdem doctorem obire. Namque, ut ab illo simili, quod supra attigi, ne recedamus: ne in ædificiis quidem constituendis quidquam operis aut firmitati aut elegantiæ obest, ipsos inter se fabros atque artifices totius operis faciundi vices officiaque partiri. Quinimmo illud usuvenire vulgo intelligimus, ut, qui fodiendis jaciendisque fundamentis maxime apti sunt, iidem parietibus tollendis, ferruminandis, ad perpendiculumque exigendis, non æque idonei reperiantur; nec, qui in hoc valuerint, videmus continuo eosdem tectorio albarioque inducendo esse maxime accommodatos: nec horum ipsorum hac una in re scientiam atque artificium ad tectum apte imponendum ac commode fastigandum multum admodum conferre. Similiter in oratorio hoc opere, quod facultate unum, institutione multiplex est, nihil impedit, quo minus ei perficiundo plures tamquam artifices, alii in alio partium operis genere præstantes, accedant, & suam veluti provinciam quisque sortiatur: atque alii quidem lati-

latinitatis in adolescente tamquam fundamenta ponant; alii reliqua, eodem pertinentia, tradentes, tamquam parietes tollant; alii humanitatis atque elegantiæ quemdam colorem, tamquam albarium, alliniant; alii demum, in artis intima, ac veluti ad oratorium culmen & fastigium eumdem illum adolescentem perducentes, tamquam coronam ac tectum imponant. Utriusque autem rei causam exquirere si velimus, illam verissimam reperiemus; quod in utraque facultate, ædificandi & instituendi, unum est quiddam, quo omnis singulorum artificum intenta mens spectet, quoque singulare cujusque ac proprium opus dirigatur: ut, quamquam diversa inter se ipsa sint opera, si tamen eodem singula referantur, perinde sit, ac si non a multis, sed ab uno omnia administrentur. Hoc, dictum fortasse obscurius, dicam, si potero, planius. Videtisne, in exstruendo ædificio sic illa ab aliis fundamenta agi atque constitui, ut, & altitudine & laxitate, parietibus superimponendis proportione respondeant? parietes autem ipsos ab aliis ita tolli atque educi, ut & cameris & tabulatis & tecto fastigioque conveniant? reliquaque omnia sic esse inter se apta ac veluti concinentia, ut ima cum mediis, media ipsa cum imis summisque concordent? Quid ita? quia, quamquam non unius fabri opera industriaque advocatur, at unius architecti concepta animo, suisque momentis, certisque modulis exacta, descriptio ac forma una perficitur. Quid in docendo? Hoc item multiplici in opere plures

res tamquam manus versantur, alia atque alia obeuntur munia, rerum est plurimarum functio atque agitatio: verum omnia una demum mente administrantur; una est forma totius operis atque descriptio; unus omnium moderator atque architectus; una docendi est ratio; unum atque idem magisterium: ut proinde non fere magis latino oratori ab ipsis initiis formando plurium magistrorum institutio, quam ædificandæ ab ipsis fundamentis domui varia ac diversa plurium fabrorum opera impedimento esse possit.

Quo quidem loco illud mihi venit in mentem dicere, quo haud scio an dici verius quidquam possit: Magistros in publicis scholis non (id quod, causæ bonitate confisus, paullo ante dederam atque concesseram) non inquam, annuos, sed esse perpetuos. Non enim magistros eos esse vere existimare possumus, qui neque a se conditas artes profitentur, neque sua præcepta tradunt, neque ab se artificii sui, sed ab aliis peti imitationem volunt. Duces hos ego ad eas artes, interpretes quosdam, comites, adjutores voco: magistros vero non alios, nisi quorum ipsæ sunt artes atque præcepta, a quibusque imitatio petitur, duco. Itaque, cum ante annos ferme septemdecim rhetoricam hanc artem docere institui, primumque sum auditores meos, florentissimos juvenes, alloquutus, cum alia quædam in hanc sententiam, tum illud dicere me ac commemorare memini; in quo animadverti, universos maxime commoveri:

Errare, si qui me Rhetoricæ magistrum illo anno fore arbitrarentur: habere eos jam inde ab institutis publicis scholis excellentissimum rhetorem, quo nemo umquam melior exstiterit, nec vero esset exstiturus, Marcum Tullium Ciceronem. Hunc audirent, huic parerent, ad hujus se unius similitudinem conformarent: me, quamdiu tantus magister foret, non commissurum, ut vocem ullam meam de rhetorica arte mitterem, aut opus ullum meum ad imitandum proponerem: arrogantissimi hominis esse & non ferendi quidquam sperare se melius esse allaturum: itaque ab eo uno omnia cum præcepta tum exempla peterentur; cujus & præcepta ea essent, ut ex optimarum vel Græcorum vel Latinorum orationum animadversione præstantiora condi non possent; & orationes ejusmodi, ut nullis cujusquam vel optimis præceptis possent absolutiores evadere: unum modo me illud de me polliceri atque adeo præstiturum, ut ducem me ad illum adire volentibus præberem; &, quoniam aliena quadam lingua loqueretur, interpretis vice defungerer, & quæ præciperet, & quæ ex præceptis atque arte diceret, explicarem: diligentiam, assiduitatem, fidem meam in hac una re pollicebar: magistrum me neque fore, neque, si maxime vellem, esse posse, testabar. Hæc ego jam tum, Florentini, non oratorio quodam more ad tempus causamque, sed plane ex animi mei sententia vereque dixi. Magistri appellamur: at non nisi operarii quidam & ministri magistrorum atque interpretes sumus. Ipsi illi Donati, Alvari, Ambrosii a

Visi-

Visitatione, Bonciarii, Butii, Lancellotti, Soarii, Decolonii, quique eorum similes in scholis grammaticis aut rhetoricis prælegguntur, magistri non sunt. Observatores modo quidam atque enarratores artificii ejus, quo in re sive grammatica sive rhetorica veteres illi ac germani magistri utuntur, appellandi sunt atque habendi. Nihil de suo, nisi animadversiones quasdam, afferunt; omnem præceptorum rationem ex illorum diligenti observatione constituunt. si quid edicunt, id sua quidem voce declaratum, sed ex veterum illorum sensu prolatum intelligi volunt; eosque solos magistros esse atque haberi æquo animo ac summa cum voluntate patiuntur. Jam veros hosce ac solos magistros quis non, a scholis publicis numquam removeri, numquam mutari, ac esse plane perpetuos, intelligit? Magistris autem manentibus, quantum tandem referre ad institutionem arbitramini, si nos, qui non nisi ministri quidam, ut sæpius dicam, atque interpretes sumus, ad eam pæne unam rem adhibiti, ut vocem vivam discentibus præbeamus, & nostro ore magistri ipsi illi sua, non nostra, animi sensa depromant, quantum, inquam, referre arbitramini, nos si recesserimus; & biennio, vel etiam non plus anno, interpretandi hoc munere defuncti, aliis deinceps atque aliis eamdem provinciam planam atque expeditam tradiderimus? Interpres recessit; novus successit. Quid? at manent præcepta; manet docendi ratio; manet magisterium: magistri denique illi, quos dixi, legitimi atque

ordinarii, & tamquam totius operis architecti, non recesserunt: ut, si discipuli in scholis iidem maneant, qui proximo anno fuerunt, nec se sive ad superiores facultates, sive, ut fieri plerumque video, ad alias quasdam potiores, hoc est, magis quæstuosas artes contulerint, ii, novi interpretis ac doctoris adventu, vocis alium quemdam auribus suis accidere sonum sentiant; rem quidem ipsam atque doctrinam minime immutatam, sed plane esse eamdem intelligant.

Si quis est autem, qui, quamquam esse hæc vera fateatur, interpretes modo in scholis publicis aliquando, non magistros magisteriumque mutari, horum tamen ipsorum interpretum mutationem esse incommodam discentibus arbitretur: huic ego homini, nimium fortasse difficili ac moroso, brevissime respondebo: Primum; si quid in eo esse incommodi concessero, tamen non esse ejusmodi, ut cum plurimis publicarum scholarum commodis conferatur; nec, cum res humanæ omnes aliqua in re laborent atque deficiant, neque esse possint ex omni parte perfectæ, esse æquum, ob eam unam rem scholas publicas damnari ac respui, quod ab aliquo minimo incommodo sejunctæ esse non possint: deinde, id ita esse incommodum, ut in eo ipso tantumdem commodi reperiatur. Nam, si quid nocet mutatio, propterea nocet, quod aliquando, qui successit, non eadem sit, qua, qui recessit, sive doctrina, sive doctrinæ tradendæ facultate. Quid vero, si hæc ipsa in superiore forte minora fuerint? nonne huic succedi, melio-

melioremque suffici ac subrogari est utile? An est aut aliqua lege cautum, aut rerum conditione fatale, ut deteriores esse semper debeant, superiori quicumque successerint? Concludam brevius. In hujusmodi mutationibus, aut parem aut superiorem aut inferiorem facultate succedere necesse est. Si par succedat, nihil incommodi est; si superior, aliquid commodi; si inferior, certe nonnihil incommodi, sed facile & quamprimum mutatione, immo non nisi mutatione atque aliqua successione, tollendum. Ita, quæ mutatio non nihil obfutura videbatur, eadem in contrario genere aliquid prodesse intelligitur.

Reliquæ mihi nunc orationis partes duæ esse deberent; altera de diuturnitate docendi in scholis publicis; altera de quadam morum, ut dictitant, corruptela: de quarum utraque, deque iniquissimis omnium, quæ fingi possunt, criminationibus, neque dicendi præstitutum mihi tempus, neque satietas audiendi vestra, neque vero defatigatio mea, sinunt, me dicere ea, quæ copiosissime dici gravissimeque possent. Erit mihi alius eas coarguendi locus. Nolo nunc aut pauciora dicere, quam rei gravitas postulat, aut plura, quam & ratio vestri commodi, & temporis angustiæ permittunt. Tum causæ utilius fore intelligo, si ad ejus gravissimas partes tractandas, viribus quam integerrimis, ac tamquam recens, accessero. Nunc videte, quid vobis de una illa criminatione, quam depellere a scholis publicis conatus sum, statuendum putetis; ex ea-

que reliquarum conjecturam facite. Ostendi, magistros publicos, a sapientissimis viris delectos atque probatos, & in artificio suo diu multumque exercitatos, plurimisque rebus, quibus hominum industria maxime acui solet atque ali, vehementer excitatos, esse optimos, & ad docendum, fere præter cæteros doctos homines, accommodatos; nec, quod aliquando, aut etiam sæpe mutentur, quidquam id obesse discentibus: nam neque ante mutantur, quam eam quisque doctrinæ partem tradendo absolverit, ex qua sic est ad reliquas aditus atque adscensus, ut in ea tamen separata quædam ab aliis, per seseque consistens, scientia ac disciplina constituatur; & ita demum mutantur, ut, magistris, sive potius magistrorum quibusdam ministris atque interpretibus mutatis, maneat tamen, atque adeo perennet, docendi eadem ratio atque idem plane magisterium.

Habeant hoc a me interim judicii mei, deque eorum præstantia mirificæ opinionis testimonium publici & hujusce civitatis & universæ Italiæ doctores: reliqua autem ad scholas publicas pertinentia, pari fide diligentiaque tractata, alio tempore a me eodem exspectent. Pro quo labore meo ac voluntate, hanc mihi unam referri ab iis gratiam pervelim, ut, si quos, natione quidem italos, at studio, sententiis, moribus denique peregrinos, hac oratione mea offensos forte rescierint, quod non in hoc Italiæ publice docendi instituto alicujus externi hominis opinioni subscripserim,

rim, ne meam caufam deferant, fed confilium ac factum meum defendant, mihique eos placare & conciliare ftudeant: teftenturque meo nomine atque confirment; mihi nullas effe cum exteris eruditis hominibus fufceptas inimicitias, quorum ingeniis atque induftriæ vehementer faveo, doctrinis ac libris plurimum delector ac juvor; unum modo illud mihi non minimum difplicere, nec ita id moderate ac leviter, ut italorum nonnulli folent, ferendum videri, quod ita fua illi venditent, ut noftra contemnant, tantumque tribuant fibi, ut nobis derogent omnia, nec modo ab fe fua difcere, fed noftra etiam dedifcere ac repudiare nos velint; eoque arrogantiæ atque impudentiæ proceflerint, ut, fi quando aliquod ad eos a nobis egregium opus, quod contemnere non poffint, affertur, ita hominem italum laudent, ut contumeliofe Italiam flagitiofeque vituperent. Solent enim jam fic vulgo exclamare: *O factum male! quod non Londini, quod non Parifiis, quod non denique extra Italiam, tale fit ingenium exortum.* quafi vero portenti ac prodigii fimile fit, præclara ingenia in Italia nafci; aut digni non fimus, quos inter ingeniofus aut doctus ullus exfiftat (*a*). Hofcene fpiritus? hanccine

(*a*) At non ita abjecte de italorum ingeniis atque doctrina Galli præfertim homines fæculo decimo fexto ineunte fentiebant. Budæus l. 1. de Affe: *At italorum*, inquit, *extant opera, quæ prifcam litterarum elegantiam in-*

cine superbiam atque arrogantiam? hanccine maledicendi tam impunitam licentiam, cujusquam itali, non dicam animus ferre, sed aures possint? Hisce nos, de nobis tam abjecte sentientibus, tam libere impundenterque obloquentibus, blandiri, adulari, obsequi sic convenit, ut, quidquid sive novi attulerint, sive antiqui ac recepti improbarint, continuo nos, sine judicio ac ratione certa aliqua, aut amplectamur aut adspernemur? Atqui, mihi credite, nisi huic effrænatæ carpendi nostra libidini itali homines atque audaciæ, conjunctis animis ac viribus, restiterimus; si, ut quodque illi improbarint, ita nos id etiam improbandum censuerimus; si nostra ad illorum arbitrium, non

---

instaurasse nobis ac retulisse jure creduntur ... Neque invitus fecerim, ut Italiæ alumnis, velut majorum gentium scriptoribus, sedendi in orchestra hujus theatri jus tribuam. Sed quis jam omni gradu, atque in quintam classem dejectos aut submotos Gallos esse patiatur? ... Verum esto (quod tamen pace dictum aliarum provinciarum velim) itali hominum soli hactenus hoc nomine in cælo esse dicuntur, aliarum gentium opinione: hoc est, italos hodie omnium ore celebrari. Sed si Herculem, & Liberum, & Castores in cælum ingentia merita subvenisse traduntur, cur non possint olim & alii scribendi industria parem, & similem italis laudem mereri, atque adeo jus ipsum sperare Quiritium?

non ad decreta majorum ac veritatem ipſam exegerimus ; niſi nos per nos ſtare, noſtriſque inventis valere poſſe oſtenderimus, actum, actum inquam, eſt de italici ſplendore nominis ac dignitate, deque italorum veteri in litteris principatu ac regno. Decus, exiſtimationem, libertatem denique ipſam amittemus : diſcemus ab aliis, qui alios docere conſuevimus ; certiſque quibuſdam nationibus turpiter ſerviemus, qui cunctis gentibus imperare ſolebamus. Cumque nos illæ, ſibi tam dicto audientes, tamque addictos, obæratos, mancipatoſque intellexerint, non eæ quidem nos magis diligent, ſed magis contemnent, nec docilitatem illam noſtram, ſed ſtoliditatem ducent : utque jucundiorem ſibi ludum de noſtra fatuitate dent, ſua ipſa illa, quæ paullo ante, ipſis auctoribus, acceperamus, damnare rurſus (quod non in una re jam fecerunt) incipient, noſque ad vetera inſtituta noſtra, quaſi ſua atque nova, revocabunt. Nos vero aſſidua novandi cura, tamquam aliqua tempeſtate, jactati, neque ullum certum curſum ac præſcriptum tenentes, modo vetera repudiantes, modo nova amplectentes, modo hæc ipſa faſtidientes, atque illa rurſus adamantes, aliorum nutum in omnibus intuentes, & ab eorum levitate pendentes, noſtrique ſemper diſſimiles ; inſulſi quidam, fatui, vecordes, atque omnium gentium deſpectiſſimi judicabimur. Conſiſtamus igitur in majorum noſtrorum, ſapientiſſimorum hominum, veſtigiis atque inſtitutis : noſtrorum plus apud nos, quam alienorum judicia valeant ;

leant: a nostris moribus, quibus semper viximus, ac præter cæteras gentes maxime floruimus, ne recedamus: peregrinorum levitatem atque arrogantiam adspernemur; neque iis, in studiorum præsertim ratione, si sumus itali, pareamus, sed imperemus. Dixi.



ORA-

ORATIO V.

PRO SCHOLIS PUBLICIS SECUNDA

HABITA FLORENTIÆ
IV. KAL. FEBRUARIAS MDCCXXXVIII.

CORAM

FRANCISCO MARIA GINORIO
FÆSULANORUM PONTIFICE.



Ublicarum ſcholarum defenſionem, a me ſuperiore anno ſuſceptam, atque ex hoc ipſo loco inſtitutam, meminiſtis, ut opinor, Florentini, ita, propter ſummam rerum dicendarum copiam ac varietatem, non potuiſſe unica oratione univerſam comprehendi, ut, cum tria propoſuiſſem, de quibus dicerem, vix unum illud, quod primum in partitione fuerat, de magiſtrorum genere ac mutationibus, explicarim: reliqua autem duo, de diuturnitate docendi, deque morum corruptela, omnino intacta reliquerim. Quod cum ita tum accidiſſet, ſic tamen putabam fore, facile ut reliquas criminationes illas altera dumtaxat actione complecterer, & utrique ſatis commode uno atque eodem tempore reſponderem. Verum, cum ad eas ipſas defenſionem meam compararem, omniaque, quæ in re eſſent, ſatis attento animo nuper inquirerem, digererem, expenderem, adornarem, ita ſe mihi multa in illa commentatione obtulerunt, ut, niſi ſuſcepto patrocinio deeſſe velim, tribus omnino actioni-

bus, quod reliquum causæ est, mihi esse absolvendum intelligam. Nam diuturnitatis quidem refutatio non nisi bipartita esse potest. Cum enim plurimos, &, vere ut dicam, plerosque, hac quidem tempestate, diutius, quam oporteat, in publicis scholis versari, nec satis umquam eruditos evadere adolescentes constet, duo certe illa præstare atque efficere debeo, ut & id non esse publicis scholis adscribendum ostendam, & veras hujus ipsius rei causas investigem ac proferam: quo, iis repertis atque enunciatis, neque ullus in animis hominum scrupulus aut dubitatio relinquatur, & ab hujus criminis suspicione publicas abesse scholas magis ac magis intelligatur. Itaque duplex mihi actio ex una illa criminatione nascetur; quarum altera in purgatione criminis, altera in diuturnitatis hujus causarum investigatione versabitur. Tertia denique illa omnium gravissima accedet actio de moribus. Verum duo hæc quidem alias: nunc primum illud, si placet, de docendi diuturnitate videamus.

Nimis diu in scholis publicis detineri juventutem queruntur. Si scholarum ipsarum id vitio contingit, gravis sane querela, justa reprehensio, res ipsa denique omni animi adversione providenda atque emendanda. Neque enim aut tam longum est homini ad vivendum spatium a natura concessum, aut tam modica hujus ipsius vitæ occupatio est, ut non vel in unius anni jactura damni plurimum fiat. Si non publica, sed privata juventutis institutione hoc assequimur,

mur, ut aliquot annos, aut etiam menses, otio ac cessationi, hoc est, morti cuidam demtos, agendo cognoscendoque, id est veræ hominis vitæ, addere possimus: valeant doctores publici, gymnasia autem publica non claudantur modo, verum etiam disturbentur. Non juventus propter gymnasia, sed propter juventutem gymnasia sunt: huic illa oportet, non hanc illis accommodari. Potior sit omnium ratio, quam paucorum; nec consuetudini, sed utilitati publicæ serviatur. Equidem, quod ad me attinet, provinciam hanc docendi meam, quam jamdiu maximas inter ærumnas gero, non modo non invitus, sed lætus atque alacer deponam. Videbor mihi aliquando liber, si meis me litterulis sine interpellatoribus dedero: & aliquid fortasse discere incipiam, cum alios docere destitero. Magnam habebo privatis doctoribus gratiam, qui me hoc onere, quod vix ferre jam possum, levabunt, nec minorem meorum auditorum parentibus, qui, quo celeriores liberis suis cursus doctrinarum præstent, moram mihi omnem, ad easdem inflammato studio ab ipsa pueritia contendenti, removebunt. Probo consilium; propositum laudo; & egregiam istam nullas in vita negligendi litteras voluntatem, ac tamquam avaritiam temporis, vehementer esse commendandam puto. Placet vox illa mihi parentum; & cum plenam caritatis erga liberos, tum etiam sapientissimam judico: Volumus, inquiunt, grammaticos esse liberos nostros, volumus esse rhetoricos; sed mathematicos, sed philosophos, sed theologos,

logos, sed reliquis doctrinis omnibus instructos esse non nolumus. neque ulla pars vitæ studiis vacet, neque omnis uni studio ætas addicatur. prima celeriter percurrantur, ne nimis sero ad extrema veniatur. ut non multum ad carceres hæseris, haud multum tibi admodum, ad metas ut pervenias, superit. non igitur in scholis publicis juventus misera consenescat: non in grammaticis, non in rhetoricis pars vitæ maxima, ac vero optima, consumatur: suum etiam reliquis disciplinis tèmpus, suum studium, suaque opera tribuatur.

Hæc qui commemorari audierit, & tam serio graviterque agi a plerisque parentibus animadverterit, profecto cum illos præclare sentire magnificeque loqui intelliget, tum illis obtemperandum, eorumque egregiam hanc voluntatem omni ope adjuvandum existimabit. At vero cum idem deinde videat, dimissos e scholis publicis adolescentes non ad alias facultates ferme contendere, sed, omni omnium litterarum abjecta cura, vel male agere, vel agere id unum, nihil ut agant, sane miretur, quid tantopere properato opus esset; cur nihil longius parentibus videretur, quam ut illi, sæpe nondum satis eruditi, e gymnasiis excederent; cur denique non eam partem ætatis, quæ maxime proclivis ad vitia est ac lubrica, maluerint a suis sub magistrorum liberali disciplina, quam in licentia, otio, desidiaque consumi.

Quotus enim quisque est ex iis, qui tam celeriter gymnasia reliquerunt, aut, ut ipsi

ipsi loquuntur, studiorum curriculum confecerunt, quibus non hæc ipsa studia, non cupiditatem ac sitim, ut fieri oportebat, incendisse, sed fastidium ac satietatem attulisse videantur? Num eruditorum cœtus celebrare, num commentari, num scribere eos aliquid, num denique lectitare scriptores ullos, nisi si forte aut Marinum, aut Guarinum, aut aliquem eorum similem, suspicamur? non eos tota passim urbe, composito ac delibuto capillo, mollissimo incessu, muliebri prope cultu concursare? non matronarum cathedris aut curribus hærere? non ludis, non spectaculis omnibus interesse? non etiam popinas ac tabernas frequentare? non amoribus irretitos? non voluptatibus captos? non ære alieno obligatos, atque adeo pressos videmus? Unum modo habent, in quo reprehendi non possint. nam vigilantes esse audio; qui quidem totas noctes in alea choreisque consumant. Si qui autem aut equis, aut canibus, aut gladiis, aut fidibus delectantur, ii demum esse aliquid, ac multum quidem agere existimantur. Et vero non plane nihil agunt, suntque in eo ipso, quod agunt, quantulum id cumque est, si non laudandi, at certe ferendi. Sed videtis, quomodo desciverint, & in pejus lapsa sint omnia: siquidem, quæ vitia non sunt, eas virtutes ducimus, & in laude ponimus, quæ vix vituperationem effugiunt. nam certe & equitare, & venari, & digladiari, & canere non multum veræ laudis habent, iisque esse impensius deditum haud multo est plus, quam esse in ipsis occupationi-

tionibus otiosum, sive in ipso otio occupatum. Vere igitur mihi videor esse dicturus, quidquid longioris temporis in hac quidem vivendi ratione (quæ tantum a consuetudine institutoque majorum deflexit, ut non iis, sed aut Ægyptiis, aut Sybaritis, aut si quæ delicatiores molliores que fuisse gentes memorantur, prognati esse videamur) quidquid, inquam, longioris temporis in adolescentium institutione consumeretur, non id bonis ullis artibus aut doctrinæ, sed deliciis, sed voluptatibus, sed, ut levissime dicam, otio atque inertiæ subductum iri. Quæ cum ita sint, utinam hanc mihi facultatem causa daret, ut possem hoc confiteri; diutius, quam addiscendis litteris esset satis, adolescentes in scholis publicis detineri. Hoc ego crimen non reformidarem, sed libenter agnoscerem, nec modo non refutandum, sed mihi præ me ferendum putarem. Cum enim morum potior ac probitatis, quam eruditionis cura esse debeat, præstetque improbis ac noxiis civibus carere, quam litteratis hominibus abundare rempublicam: quid ad publicarum scholarum decus ac laudem commemorari a me illustrius posset, quam eas hoc in hac vita moribusque præstare, ut, quantum moræ in docendo juventutis eruditioni afferunt, tantum temporis adultioris ætatis licentiæ, aut certe inertiæ detrahatur? Sed non licet tantum bonitatis atque splendoris causæ arrogare: non possum scholis publicis diuturnitatem in docendo istam salutarem, non singulare in rempublicam beneficium meritumque tribuere.

Id

Id igitur sumamus, eoque contenti simus, quod simplex veritatis ratio & causa ipsa concedit, neque enim ejusmodi illa est, ut, nisi mendacio nixa, non possit firmitate sua ipsaque veritate consistere. Nego, longiora, quam addiscendis litteris necesse est, in scholis publicis disciplinarum esse curricula: nego domestica privati cujusquam doctoris institutione fieri contractiora.

Atque hoc quidem posterius cum illa exceptione dictum intelligi volo, ut, si publicæ institutioni privata adjungatur, atque altera ab altera mutuo vicissimque adjuvetur, non negem, multum sane id ad discendi celeritatem conferre: illa modo præscriptio in hoc genere cautioque adhibeatur, in eoque sita esse omnia existimentur, ut, non solum non contraria, sed ne diversa quidem alia ab alio doctore tradantur; & ut privatus ille non princeps ac dux in instituendo sit, sed veluti quidam administer ac comes, & tamquam partium secundarum se esse actorem patiatur. Hæc si fiant; si domesticus hic suam ad illius publici institutionem accommodet, si eadem discentibus ab utroque inculcentur, si domestici operis, si scholastici ratio repetatur, si denique id agatur, ut, quæ in publicis puer scholis didicerit, ne ea per negligentiam socordiamque domi dediscat: absolutissimum fore opus censeo, nec quidquam ad doctrinam celeriter arripiendam fieri posse accommodatius puto.

Licet hinc etiam omnes intelligant, id quod superiore actione testatus sum, pri-

vatis

vatis me non esse doctoribus infensum; quorum in discipulis instituendis operam & vehementer probem, & mihi etiam deposcam ac flagitem. Utinam multos tales nanciscar, qui in excolendis, tamquam agris, adolescentulorum ingeniis, jugum pariter mecum ferre non detrectent. utinam ea facultas omnibus discipulorum meorum parentibus detur, ut liberis suis privatos etiam adhibere doctores possint. Magna profecto me laboris ac molestiæ parte liberarent (quamquam id est levius, nec, mihi ut tribuatur, postulo): sed certe valde ita liberorum bono studiisque consulerent; valde id ad eam, quam potissimum ipsi spectant, discendi festinationem conduceret.

In quo sane mirandum est, vehementius nos de suis suorumque commodis laborare, quam ipsos; nec nobis tamen parem gratiam, pro tam liberali voluntate singularique studio, referri. Nam nos quidem, quo citius instituere eorum liberos atque erudire possimus, privatorum doctorum operam ac ministerium ultro advocamus: ipsi nostram operam adspernantur atque rejiciunt; maluntque a solis privatis, quam conjunctim a publicis, in suis liberis erudiendis elaborari: quasi non modo non erudire eos, sed ne conferre quidem aliquid sive ad eorum eruditionem, sive ad erudiendi celeritatem possemus, si ad privati doctoris præcepta atque institutionem nostra vox etiam, nostræque facultatis & industriæ non nihil accederet.

Sed nimirum non odio id nostri, neque quo

quo de facultate nostra secus, ac nos vellemus, existiment, sed plane amore ac miseratione quadam commoti impulsique faciunt. Vident, confluere undique ad nos plures, quam ut uni tanto tot erudiendorum oneri ferendo pares esse possimus. vocem profecto ipsam, ne si stentorea quidem sit, tantæ auditorum frequentiæ sufficere non putant posse. nobis parcunt; nostris viribus ac valetudini consulunt; minus occupatis atque distentis laborem atque onus imponunt.

Quis non hac tanta tamque inusitata humanissimorum virorum benignitate capiatur? cujus non publici doctoris animus ac voluntas ad mutuo respondendum tantæ erga se benevolentiæ, sollicitudini curæque excitetur? Nemo, ut opinor, eorum est, qui non eo etiam ægrius ferat, nequaquam ad se talium parentum liberos mitti, quo magis ad se suaque commoda intelligit non mittendi causam pertinere. Nobiscum igitur præclare agitur: major nostri ratio, quam vulgo existimatur, habetur. Redeamus sane cum iis hominibus in gratiam, a quibus, vanis quibusdam suspicionibus, fictisque malevolorum ac disseminatis rumusculis, abalienati eramus. nihil est de nostra dignitate aut existimatione detractum: aliquid etiam commodis nostris est, degendæque vitæ tranquillitati concessum. Privatis doctoribus timeo. vereor, ne majus iis onus, quam quod ferre possint, imponatur. Levari nos labore molestiaque, gratum est: gravari eos opprimique, non est æquum. Atqui, nisi

 pro-

provisum sit, quantum assequi conjectura possum, debilitentur nimio labore, atque inter opus deficiant, necesse est.

Video enim, eo illos fere arcessiri, ubi robusta firmaque ætate florens paterfamilias, amans reipublicæ civis, non infæcundam uxorem superum benignitate nactus, catervas liberorum patriæ ac gentis incremento procreavit. Nec vero eos genitrix, ut Terra parens Titanas, uno omnes conceptu satuque fudit. Quamquam omnes multum de parentibus referant, fratresque eos esse germanos vel primo adspectu possis agnoscere: at ætate, at ingeniis, at doctrina differunt. Maximus quidem natu, nec jam impubes ac puer, sed plane juvenis, cæteris, ut ætate, sic etiam eruditione antecellat necesse est. eum ego rhetoricis institutionibus atque poeticis maturum autumo. Proximus quidem is videtur, qui earumdem facultatum initiis, & mitioribus quibusdam litteris sit atque humanioribus imbuendus. Reliquos deinceps minores illos in grammaticis detinendos omnes exercendosque censeo, sed ita, ut non omnia omnibus æque conveniant; verum ut minimis prima illa nominum verborumque elementa tradantur; grandiusculi participiorum, gerundiorum, reliquarumque rerum grammaticis illis tamquam mysteriis initientur; tertiis intimior latinæ syntaxis ratio explicetur. Quid vero festivissimo illo puellularum choro faciemus? nonne ipso ore gestuque declarant, cupere se etiam ac velle una cum fratribus erudiri? easne lanam modo ac colum ancillari ministerio semper tractare

ctare patiemur ? non indoli naturæque indulgebimus ? non honestissimæ voluntati obsequemur ? Nolo, Pieridas esse mulieres, sed nec plane amusas ac rusticanas evadere. His igitur sua quoque cura impendatur: sciatque privatus noster recensque doctor, postremum hoc ab se expeti munus atque exigi, ut rationem legendi scribendique puellas etiam duas, tresve, quattuorve doceat.

O miserum atque infelicem, quisquis is est, cui tam multiplex, tam varia, tam impedita procuratio demandatur! o gravem! o ærumnosam! o horribilem vitæ conditionem! Hoc nimirum illud erat, quod verebar, idque animus quasi divinans præsagiebat, fore, ut adeo misericordes isti parentes, qui aliquid ex labore nostro, nostrisque occupationibus, domi suos liberos continendo, deonerare vellent, nimium iidem ac non ferendum onus in privatos doctores trajicerent atque transferrent. Miseret me certe hominis istius, qui tantis litteris instructus atque abundans, quantas oportet esse ei, qui non unus e multis, sed inter multos prope singularis, a copioso & locuplete patrefamilias conducitur, ut grammaticum, ut poetam, ut rhetorem, ut mathematicum, si necesse est, ac philosophum, apud se agat, primum totos dies cum pueris puellisque vir gravissimus, & doctissimorum hominum cœtibus sermonibusque assuetus, versari cogatur; deinde aciem ingenii sui, vimque doctrinæ prope immensam, in exiguum arctumque concludat, & facultatem suam, in orationibus, poematis, theore-

rematisque subtilissimis exercitatam, ad levissimas sane putidulasque præceptiunculas demittat ac contrahat.

Sed quid facias? Ita homines sunt, ut, quæ vitæ conditio acerba tibi ac non ferenda videatur, eadem aliis valde probetur atque expetatur. Dimittamus igitur istos, qui privati magisterii provinciam, tamquam formosam aliquam multisque procis petitam sponsam nacti, non modo, ut sui misereamur, non postulant, verum etiam, sibi invideri a nobis, putant. Sed habeant sane sibi totum istuc, quidquid est, formæ mirificæ atque elegantiæ: me quidem certe rivalem non habebunt.

At vero, si non eorum, quod ita ipsi malunt, miserebor, non poterit certe mihi, non vobis, Florentini, non prudentissimo cuique viro tot ingenuorum una in domo conditio non miseranda vehementer videri. Unusne tam multis, in docendi generibus dissimillimis, sufficiet? an possunt omnia promiscue omnibus tradi? nihil inter lectionem scriptionemque differt? rhetoricæne præceptiones possunt grammaticis discipulis accommodari? non alia oratorum, alia poetarum est institutio? quid orationi cum carmine? quid figuris dicendi cum emendata loquutione? quid scriptori cum anagnoste? Alius alii sit impedimento necesse est. quantum uni tribueris, tantum surripueris alteri. non potes non aliquem negligere, qui omnes complecti velis: nisi autem omnes complexus fueris, certe aliquem negliges. Non intelligo, quid ista domestica institutione disci-

discipuli tam dispares adjuventur. temporis compendium, in ista tam multiplicis doctrinæ ratione, non video. ut multum operæ singulis culturæque impendatur, vix poterit quoque die sesquihoræ spatium unicuique contingere. quantulum autem est hoc, non dico ad discendi celeritatem, sed ad mediocritatem sciendi? Tu mihi etiam scholas publicas criminaberis, ac nimis longam in iis esse institutionem quereris? Quinque solidas diurnas horas eamdem, ut dicitur, incudem tundimus. idem opus sive grammaticum, sive rhetoricum, sive poeticum sine intermissione urgemus. Ferrea sint licet, quæ tractamus, ingenia, cedant tamen repetitis ictibus necesse est, atque mollescant. aut nullum docendi discendique compendium est, aut hoc est profecto, eadem iisdem diuturna opera perpetuaque inculcare.

Placet, inquiunt, consilium: sic igitur faciemus: singulos singulis liberis nostris privatos doctores adjungemus, qui eadem assidue iisdem inculcent. id si fecerimus, profecto vicimus. neque enim tam celeriter publico doctori, qui tam multos vulgo suscipit instituendos, erudire suos licebit, quam privatis nostris, qui uni sese totos impendent.

Heic ego, tam subita tamque acuta istorum interpellatione oppressus atque perculsus, quid tandem, Florentini, reponam? quid me vos responsurum putatis? Fortasse id dicam, quod dicturum me nemo vestrum suspicatur. Videte, quam non ego meam

ſam agam, ſed pro litteris, & pro publicis utilitatibus ac commodis laborem. Quod quidem mihi publicos doctores conceſſuros certo ſcio, nec me prævaricationis alicujus acturos reum, ſi, quod eſt pleriſque mortalibus maxime gratum, reipublicæ autem ipſi prope æque ſalutare futurum, quamquam minus ſcholis ipſorum utile, hoc tempore dixero. Ego vero, ſi qua in civitate tanta ſit excellentium doctorum copia, ut ſingulis adoleſcentibus ſinguli excellentes doctores poſſint attribui, non dubitabo privatam iſtiuſmodi inſtitutionem ſi non publicæ anteferre, at certe cum ea propemodum comparare. Ne ſic quidem publicæ inſtitutionis illa, quam quærimus, brevitas celeritaſque æquabitur: verumtamen neque tanta erit hujus privatæ diuturnitas, ut non, in hoc hominum tam inſolenti publicarum ſcholarum faſtidio, ferri quodammodo atque adeo negligi poſſit. Sed tam multos iſtos excellentes ubinam reperire doctores poſſumus? Fac reperiri. Ex iis ipſis quam multi a privato magiſterio iſto, humili, obſcuro, ærumnoſiſſimoque abhorrebunt? Quo magis excellent, eo minus volent: facultati obſtabit ambitio: præſtantia dignitate obruetur. At ampliſſimis præmiis propoſitis, promiſſiſque ingentibus invitabuntur. Quid dicam hoc loco, plane neſcio, Florentini. non enim divitias cujuſquam civis, neque munificentiam ſatis novi. Unum tamen illud dicere non omittam, hoc vulgo in magiſtris ſive privatis ſive publicis conducendis accidere, ut, qui liberales in eos mu-

municique esse vellent, ferme non possint; qui possent, nolint oppido. Nec vero nonnullorum etiam querelis non aliquando interfui, qui secum valde illiberaliter, & certe non ut pro sua opera atque in erudiendis pueris labore æquum erat, agi a parentibus dicerent. Quos quidem ita consolari consuevi, ut præteritorum memoriam temporum repetens, haud aliter in omni ætate cum magistris actum esse a parentibus doceam: soleoque illos ad luculentum sane auctorem Juvenalem (a) rejicere; qui, commemoratis insanis hominum, sua tempestate locupletissimorum, sumtibus, ita de eorumdem in filiorum magistros parsimonia avaritiaque testatur:

Hos inter sumtus, sextertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient:

tum ad extremum, non sine quodam fatidico mentis instinctu, quo non suam modo, sed consequentes etiam ætates, nostramque hanc adeo complexus est, egregius vates ac plane vates exclamat:

Res nulla minoris
Constabit patri, quam filius.

Verum hæc ego, consolandi causa necessarios meos, aliquando soleo, non exprobrandi cujusquam divitis consuetudinem, commemorare. Sed profecto videtis, rationi illi atque instituto, singulos excellentes doctores singulis adolescentulis adhibendi, sive excellentium paucitatem, sive eorum ipsorum in summa etiam copia voluntatem,

 sive

(a) *Satyra VII. v.186.*

ſive demum parentum parſimoniam adverſari : ut omnino de talibus conſultare, optantis magis ſit, quam rem explicatam, quæque fieri in hominum vita poſſit, in medium afferentis.

Sed certe aliquis aliquando reperietur parens, cui & conducendi liberis ſuis egregii doctoris facultas ſuppetat, nec voluntas non ſuppeditet. Quid? plus tum domeſtica, quam publica inſtitutio valebit? unus uni addictus plus proficiet, quam in ſcholis publicus doctor multis deditus? Continget id fortaſſe aliquando: contigiſſe etiam nonnumquam poſſim concedere. Sed neque ex iis, quæ ſolent perraro contingere, agendarum in vita rerum conſtituenda ratio eſt ac moderanda; neque certe id ipſum, quod aliquando ſive contigiſſe, ſive contingere poſſe confiteor, docentium facultati eſt, ſed diſcentium præſtantiæ ſingularibuſque ingeniis tribuendum. Valet, ſi quando id evenit, vis animi excellens quædam, non diſciplina: non ratio, ſed natura dominatur. Da celeres in adoleſcente ingenii atque acutos motus; da acre diſcendi ſtudium; da ſciendi incenſam atque inflammatam cupiditatem: adde eo animi generoſam quamdam indolem atque excelſam, quem vinci pudeat, qui ne parem quidem ferre poſſit, ſed primas in litteris petat ac concupiſcat, gloriæque ſtimulis acerrimis concitetur: næ iſte, tantis bonis ac dotibus cumulatus, haud multum ſane magiſtri ullius inſtitutionem requiret. Simul ac prima tradideris, ac, tamquam forti equo ac generoſo, ſta-

ſtadium curriculumque commonſtraris, impiger ad metas ſine duce aut rectore provolabit. Factum hoc etiam in ſcholis publicis & me diſcente commemini, & me docente expertus ſum, ut incredibiles quidam ad omnem litteraturam talium ingeniorum, atque admirabiles curſus exſtiterint. Quid, quod de Torquato Taſſo, principe illo epici apud Italos *carminis Alite*, proditum memoriæ eſt (*a*)? eum a Bernardo patre, vixdum

(*a*) In vita Torquati Taſſi, ab Joanne Baptiſta Manſo conſcripta, & Florentiæ anno 1724. edita, cap.12. *Era di que' tempi venuta novellamente in Napoli la Compagnia de' Padri del Gesù: la quale comecchè poſcia abbia con maraviglioſo proceſſo ſcorſo tutto 'l Criſtianeſimo, ed illuſtratolo con chiariſſimi lumi di ſapienza e di ſantità, allora tuttavia eſſendo picciola famigliuola, e di poco tempo prima ragunata, e non avendo molta fama, fu ricevuta da quella città, madre d' opere ſante e magnifiche, nella vietta, che chiamano del Gigante: dove eglino aprirono in prima una picciola chieſetta, e le loro uſate ſcuole; nelle quali cominciarono con maraviglioſo frutto a ſeminare e nelle prediche e nelle lezioni ſanta e profonda dottrina. Nelle coſtoro ſcuole adunque Torquato, menando ancora il quart' anno degli anni ſuoi, fu dal padre mandato a compire gl' incominciati ſtudj . . . Il che fece il fanciullo con tanto ardor d'animo, che non ſi laſciò mai cogliere dal naſcente giorno nel letto: anzi aſſai ſovente s'alzava di notte tem-*

dum quadrimum, meæ Sodalitatis hominibus, qui recens ludum Neapoli aperuerant, in publicam disciplinam traditum ac commendatum, usque adeo in litteris tamque celeriter profecisse, ut septennis & latinam perbene linguam nosset, & græcam non ignoraret, & versus & orationes scriberet, & ad coronam, quæ scripserat, recitaret.

Sed ego non exemplis singularibus abutar: non, quod aliquando, quod præter consuetudinem, quod alia fortasse de causa accidit, continuo id publicis scholis adscribendum putem. Quod more, quod plerumque, quod rei ipsius efficientia quadam naturaque fit, id in omni disputatione valeat, id omni causæ ac controversiæ suffragetur.

Sic igitur statuo: unius doctoris in uno erudiendo impensam atque occupatam operam minus vulgo esse utilem, quam multis in eodem genere institutionis addictam. Qui

---

tempo; ed aveva così gran fretta di esser menato al maestro, che fu mestiero talora alla madre di mandarlovi innanzi dì co' doppieri accesi, per vedere la strada. Quivi fece egli così felici avanzi, che in altri quattro anni apparò presso che perfettamente la lingua latina, ed in gran parte la greca, e per sì fatto modo le regole intorno all'arte del favellare e dello scrivere acconciamente ed in prosa ed in verso, che compiuto il settimo anno dell'età sua, compose e recitò pubblicamente orazioni e versi con nuova maraviglia di chi l' udiva. ec.

Qui tandem hoc demonſtrari poteſt? Quia plus a multis unus, quam ab uno adjuvatur. Quid ais, o bone? (dicet aliquis) quæ rerum portenta narras? illudiſne tu nobis, an te ſtultiſſima opinione ludi atque agi transverſum ſinis? hoc quidem ridiculum eſt, magiſtros putare a diſcipulis adjuvari; nec docendi munus onus eſſe quoddam videre, quod, quo plures docendi ſunt, eo magis, non minuitur, ſed augetur.

Hoc mihi certe ignotum eſſe non poteſt, eſſe onus & ſane grave ac permagnum, atque Ætna (ut dicitur) gravius, docere. ſed ne illud quidem ignorari a me exiſtimandum eſt, diſcentiumne multitudine alleveтur id onus, an graveſcat. Levius certe fieri, quicumque mercede docent, eoque levius, quo plures docent, confitebuntur. Verum iis quoque, qui non mercenariam operam ſuam locant, ſed gratuitam impendunt, ſcitote idem videri, idemque uſuvenire, ut multitudine potius diſcipulorum, quam paucitate ſubleventur. Quod oratoribus concio, quod recitatoribus cœtus, quod actoribus corona, hoc eſt auditorum frequentia doctoribus. Contrahuntur animi ſolitudine, affictantur, concidunt: langueſcit induſtria; frangitur actio; vox denique ipſa debilitatur. Nec modo ita fit natura: ſed judicio id etiam ac voluntate faciunt. Inſani enim eſſe hominis arbitrantur, aut vocem validius intendere, aut actionem acrius commovere, aut vehementius animis concitari, denique non modice, non leniter, non remiſſe omnia aut eloqui aut agere, ubi vix

ſit, qui te exaudiat, & cujus cauſa tantum contendere conarique debeas. Contra vero erigimur, recreamur, commovemur frequentia; cauſamque eſſe juſtam putamus, cur & voce & actione & animis excitemur, ubi plurimos in nos intentos, & tamquam ab ore pendentes noſtro intuemur. Jam vero, quantum de ardore animi, deque actionis vociſque motu ac contentione remittitur, tantum de vi ac facultate ſive docendi, ſive perſuadendi, ſive efficiendi denique quidpiam in eorum mentibus, ad quos adhibetur oratio, fere deperditur: eoque minus ad comprehendendam, tamquam aliquam flammam, vim orationis atque doctrinæ eſt aptus auditor, quo frigidior ad eum atque languidior ſive orator ſive doctor accedit. Hæc ſcilicet nemo non ita contingere, ac neceſſario quidem contingere, intelligit.

Quod igitur poſſumus ſtudium ab eo doctore, quam alacritatem, quam vim in docendo contentionemque exſpectare, cui, tamquam fabulam acturo, ædium anguſtiſſima maximeque abdita zothecula totum theatrum ſit, conſeſſus ſpectatoreſque puerulus? Exanimetur mente, actione torpeſcat, lingua etiam hæſitet neceſſe eſt. Noſim hunc ego valde eſſe doctum. æquius tolerantiuſque tantas rerum anguſtias diritateſque feret indoctior. quo eſt enim quiſque eruditior, hoc luce magis frequentiaque delectatur; hoc ſe majore theatro dignum putat.

Ve-

Verum me quidem non magis iste doctor, certe miserandus, quam docendus ille, qui timidus ac verecundus, mærens, terramque intuens adstat, ingenuus puer movet. videor enim illi adesse, ac tamquam præsens præsentem intueri. O miserum atque infelicem, & certe non ista fortuna dignum! quid mæres, miser? quid me identidem adspectas? quid suspiras? quid ingemiscis? misericordiam tibi ego doloremque meum possum impertiri; solatium ac salutem non nisi parens potest. Qui tibi animus, miser, quæ mens, quæ vita soli cum solo, tristi, severo, horrido, fortasse etiam moroso, clamoso, plagoso, inhumano? nonne necesse est, ut aviculas videmus, a gregalibus cavea disclusas, despondere, macescere, interire; ita te misellum, æqualium cœtibus interclusum, tamquam cælo libero prohibitum, tanta in solitudine ac tenebris brevi contabescere atque emori? sed fac vivas: atque utinam felix diuque vivas. at non speret pater, te tanta confectum cura, tantoque mærore perditum, afflictum, exanimatum, lucis vitæque pertæsum, excitaturum esse umquam animum atque erecturum, & illos, quos somniat, in litteris proceſsus celeriter eſſe effecturum.

Sed nos jam ex hoc privati laris, tamquam carceris, horrore ac solitudine ad publicarum scholarum lucem ac frequentiam conferamus. Nitent heic mihi omnia, rident, gestiunt. nihil squalidum, nihil triste, nihil obsoletum. placent mihi subselliorum illi ipsi gradus atque ordines; ut me ingredi

di quoddam theatrum existimem. placent pendentes parietibus coronæ, tubæ, vexilla. placent tam multa illa litterariæ, tamquam bellicæ, virtutis insignia; Pœnorum leones illi, Romanorumque illæ aquilæ placent; tanta magnarum rerum, ut in scena, ipsa imitatio placet. Consessus vero ille tam frequens, tam honestus, tam splendidus tot ingenuorum; mundities, cultus, vultus illi feroculi, magnum quiddam ac præclarum minitantes, cui tandem poterunt displicere? Quanta alacritas? quanta sedulitas? quanta æmulatio? quæ spes? qui timor? quæ cura? ingenii enim mox est, memoriæ, doctrinæ, diligentiæ faciendum tanta in celebritate periculum. Procedit ecce publicus doctor: gymnasii limen ingreditur. Omne murmur ac strepitus, si quis erat, illico conquiescit. Consurgitur: fit honestissima persalutatio: considitur: nihil cessatur. Jubentur prodire ex adversis partibus aliquot, tamquam pugilum, paria, & in mediam arenam ad certamen luctamque descendere, & memoriter insigniorem aliquem veterum, sive oratorum, sive poetarum locum alternis vicibus recitare. Consistunt in medio gymnasio duæ utrimque adolescentulorum acies, magnorum exercituum instar atque animos gerentes. datur pugnæ signum: confligitur: recitatur. Qui cursus verborum, Deus immortalis! quæ linguæ celeritas! quam nulla hæsitatio! ut imminent adversarii! ut instant! ut urgent! ut moram afferre aliquam student! ut offendicula injiciunt! ut dejicere ac deturbare stantes omni ope vique conantur! nec, si non

non potuerunt, tamen animos demittunt: æque ſe viciſſim reſtituros, neque loco movendos ac pervertendos confidunt; &, ſi non vicerint, non eſſe tamen vincendos ſperant. Inſtauratur de integro certamen: atrocior pugna committitur. hos ſucceſſus ferociores, illos anceps prœlii eventus ex omni parte cautiores facit. Fit clamor, impetus, incurſus. petitiones propemodum gladiatoriæ conjiciuntur. aliquæ declinantur, non omnes. qui enim id in tanto animorum ardore ac pertinacia poſſit? Heic lapſus aliquis concidit. Clamorem victores tollunt; geſtiunt, exſiliunt, gratulantur: ſupplicationem prope ſibi decerni ac triumphum poſtulant. Silent contra victi, dolent, indignantur, illacrymant. Excedunt, tamquam ſaucii, ex acie. Integri recenteſque ſuccedunt, qui hoſtium effrænatos impetus atque inſolentiam frangant ac comprimant. Pugnatur rurſus infeſtiſſimis animis: ſtat aut glorioſe vincere, aut honeſte cadere: hæret vir viro, pes pedi: manus manu conſeritur: vi geritur res. pulvereæ adeo nubes, pedum ſupploſione & corporum agitatione, tolluntur. Quod ubi doctor animadvertit, rem plus nimio calere, & prope ad internecionem atque exitium adduci, furentes auctoritate ſua nutuque cohibet, atque, ut Virgilianus ille Æolus,

Mollitque animos & temperat iras: (a) collaudatiſque victoribus, præmioque ornatis, &, tamquam bonus imperator, ſuorum

(a) *Æneid.* 1. *v.* 61.

rum virtute rebusque gestis vehementer lætatus, receptui cani jubet; sed ita, ut faciat tamen victis certaminis in alio quodam genere potestatem. Non pugna desistitur, sed locus atque arma mutantur. Scribendo, interpretandoque decertant. Pugnatur eminus nihilo segnius, quam modo pugnatum est cominus. idem animus, eadem vis, eædem rerum fortunæque vicissitudines. Ita, post multas in acerrima contentione consumtas horas, cum se, propter ardorem animi, tamdiu contendisse vix sentiant, in castra præclaræ cohortes dimittuntur; domum disceditur; curantur corpora. Ad aciem, ad solem, ad pulverem haud ita multo post reditur: eaque toto anno perpetua sibique succedens exercitatio in scholis publicis contentioque servatur.

Heic mihi quisquam audeat segnem illam privati doctoris atque intermortuam disciplinam objicere, aut vero etiam commemorare? quisquamne privatas scholas publicis anteponat, facilioresque in illis, quam in his, doctrinarum esse cursus contendat? Quid illis magis impeditum? quid autem his commodius atque explicatius? Heic frequentia, illic solitudo; heic alacritas, illic torpor; heic contentio, illic quies; heic æmulatio, illic securitas: denique in illis statuere hoc nemo possit, plurane incommoda docentium facultatem, an discentium industriam remorentur; contra in his omnia sunt cum ad discentium utilitates, tum ad docentium rationes maxime accommodata. Agitur heic semper aliquid, in litteris assiduo

due vivitur; non torpent animi, non languescunt: laude, ignominia, spe, timore, præmiis, suppliciis excitantur. Quam potest quisquam hinc exsistere docendi moram, quam discendi diuturnitatem comminisci? nonne omnia eo potius referri ac collineare intelligimus, ut quam fieri potest celerrime brevissimeque discatur?

At doctrinæ tradendæ turba obstat; nec, perinde ut uni privatus, ita multis potest se totum publicus doctor impendere.

Quid, si non unus privato, sed plures, ut vulgo fit (nam quid in re quotidiana atque perspicua diutius illudi patiamur?) quid, si, inquam, non unus privato, sed plures sint adolescentuli adolescentulæque simul instituendæ? nonne domestica hæc etiam turba doctrinæ tradendæ obstare existimabitur? singulisne se totum poterit, idque in dissimillimis doctrinæ generibus, privatus doctor impendere? Cur ea publicis scholis a privatarum patronis objiciuntur incommoda, quibus privatæ ipsæ vacare non possunt? quid unus iste uni addictus tam sæpe jactatur, si non uni plerumque, sed multis, iste nescio quis unus addicitur?

Sed esto; uni addicatur: quid tum? an minus unus non uni in scholis publicis sufficit? Non sufficere, possim fortasse in iis publicis scholis concedere, ubi multa multis ab eodem doctore traduntur: quas ego scholas sive a defensione mea rejicio ac separo, sive, quoniam id non est necesse, ab aliis commodis, quæ sunt illis cum nostris communia, emolumentisque defendo. At vero

in

in reliquis publicis plerisque scholis, in quibus singulæ separatim disciplinæ ejusdem ordinis adolescentibus explicantur, ubi eadem discentium est institutio, unaque docentis opera præceptioque consumitur, non magis doctrinæ tradendæ turba, quam exaudiendæ doctoris voci, impedimento esse potest. Non, quod multis dicas, minus singuli exaudient: neque minus singuli discent, quod multos doceas. tota singulis auditoribus unius vox una contingit: tota discentes singulos institutio una unius informat. quæ grammaticus doctor grammaticæ auditoribus, quæ Rhetoricæ, Poeticæve studiosis aut rhetor aut poeta præcipere multis solet, profecto non plus valerent, si uni, non multis, præciperentur. non igitur obstat in scholis publicis turba præceptis. Num emendationi scriptorum? id enim est alterum, quo præcipua earum doctrina continetur. nam tertium illud, *Interpretari*, vel commode ad præcepta revocari potest, vel certe non habet præceptorum dissimilem rationem. ut enim multis simul eadem præcipimus, sic eadem multis simul interpretamur. quartum autem, quod nonnulli addunt, *Memoriam excolere*, a scholasticis exercitationibus sejungo. domo enim afferuntur, quæ in scholis memoriter pronunciantur. Una igitur scriptorum emendatio relinquitur: de qua illud brevissime dicam, non modo non impediri eam turba, sed adjuvari.

Cognoscit domi privatus doctor, quæ scripsit alumnus suus: in qua quidem re, quæ

quæ ad ejus, quem inſtituit, eruditionem præſtat, ſive præſtare debet, fere illa ſunt, quæ ſapiens poeta (*a*) diligenti alienorum verſuum cenſori facienda præcipit:

Vir bonus & prudens verſus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit.

Habetis a privato doctore ſcriptorum emendationem. Num quid reprehendo? nihil ſane. recte enim omnia atque ordine facta video; nec uni ab uno melius conſuli poſſe intelligo. Sed mihi dicite, amabo vos: ſi plures, non unus, illud idem ſcriptum ad privatum hunc doctorem attuliſſent, atque eadem, quæ unus ille, peccaſſent, minuſne cæteris una illa unius emendatione conſuleretur? Certe non minus. æque enim omnibus, qui eadem peccaſſent, eorumdem peccatorum emendatio prodeſſet. Quid, ſi alia ille unus, alia plures illi peccaſſent? Nempe tum unius peccatorum reprehenſio iis etiam, qui illa vitaſſent, valde conduceret: ſive quod, cum caſu illa, non ratione vitaſſent, æque de illis admoneri eos utile eſt, ac ſi nequaquam vitaſſent; ſive quod peccati, etiam judicio ac voluntate vitati, reprehenſio atque notatio vehementer ad ejus cum certiorem ſcientiam, tum firmiorem memoriam diu-

(*a*) *Horat. in Arte poet.*

diuturnioremque facit; five denique quod objurgatio illa, aut etiam animadverfio, quam in unius reprehendendis peccatis, caftigandaque fegnitie adhibere doctores folent, reliquos a peccando non modo in eodem, fed etiam in fimilibus peccandi generibus continet. Hanc igitur multiplicem utilitatem ex unius peccatorum reprehenfione turba perciperet. Quid? unus ille, e cujus reprehenfione tanta doctrina in reliquos, tamque infignis utilitas redundaret, num viciffim poffet ex aliorum peccatis ac reprehenfione proficere? Non poffet: fiquidem fola ipfius a doctore, illi una addicto, peccata corrigerentur. Effetne hoc illi utile? Immo valde quidem adverfum, & difcendi celeritati maxime infeftum. Poffumufne aliquam rationem excogitare, qua hic quoque unus hac in doctrinæ parte adjuvetur, & ne tantis utilitatibus fructuque careat? Poffumus, & facili quidem negotio poffumus. Qui tandem? Reliquorum etiam, quos ad privatam hanc fcholam acceffiffe, atque idem, emendandi caufa, attuliffe fcriptum fingimus, a privato doctore peccata proferantur, reprehendantur, caftigentur. eamdem tum unus utilitatem ex multorum prolatis, reprehenfis, caftigatifque peccatis confequetur, quam confequi ex unius emendatione multos vidimus. Placet ita fieri? Quid ni placeat, fi non alia ratione poffumus hujus unius cumulatiori eruditioni doctrinæque confulere? Quid hoc? nonne, fi ita fiat, tum ad emendationem fcriptorum, maxime difcentibus profuturam, turba advocatur? an

an non animadvertitis, e domestica nos in publicas esse scholas delapsos? nonne publicum e privato doctorem fecimus? nonne ab illo unum adolescentulum, quo commodius is atque utilius institueretur, abduximus, & inter æquales in scholis publicis collocavimus? Satisne videmur confiteri (si res una illa, cui maxime turba obstare videbatur, scriptorum nempe emendatio, discipulorum multitudine non impeditur, sed adjuvatur) reliquam publicarum scholarum institutionem longe privatæ multumque præstare, & ad celeritatem discendi esse maxime accommodatam? Nam quid dicemus? Commodius una in domo multiplicem disciplinam disparibus alumnis impertiri, quam in scholis publicis eamdem cum paribus discipulorum ordinibus communicari? Hoc quidem cum rationi, tum rei ipsius naturæ adversari perspicuum est. An promtiores ad unum modo docendum alacrioresque privatos, quam ad multos instituendos publicos doctores accedere? At solitudine concidere animum docentibus, facultatemque minui; contra excitari illum frequentia, hanc autem augeri constat. Discentiumne studia, privata institutione commoveri, publica retardari? At torpere solos, acui autem congregatis industriam, fierique eos ex æmulatione assiduaque inter se contentione sollertiores vidimus. An denique præcipiendi, interpretandi, emendandique rationem uni magis accommodari? quam nemo est, qui non æque pluribus convenire, sine cujusquam detrimento, intelligat: cum præ-

fer-

fertim ipsa scriptorum emendatio in turba utilior ac multitudine evadat. Quid igitur dubitamus, publicas scholas, in invidiam ab obtrectatoribus imperitisque hominibus vocatas, & atrocissimi maleficii reas injuria factas, sententia nostra absolvere; &, longe ab iis diuturnitatis in docendo abesse crimen, pronunciare? Dixi.



ORA-

ORATIO VI.

IN ADVENTU

FRANCISCI III.

LOTHARINGIÆ, BARRI

ET MAGNI ETRURIÆ DUCIS

AD FLORENTINOS

CORAM

ZENOBIO DE' RICCI

ORDINIS

HIEROSOLYMARII EQUITE COMMENDATARIO

ET EJUSDEM MAGNI DUCIS A CUBICULO

PRINCIPIS MANDATO AC NOMINE

PRÆSIDENTE

HABITA

IN ÆDE S. JOANNIS EVANGELISTÆ

VII. KAL. MARTIAS MDCCXXXIX.



I veſtrum incredibilem mærorem, Florentini, in acerbiſſimo luctuoſiſſimoque JOANNIS GASTONIS PRIMI funere, non obſcuris doloris ſignificationibus collegii hujus ſodales olim proſequuti ſumus, dabitis iiſdem, opinor, hanc veniam, ut ſummam lætitiam veſtram in auſpicatiſſimo jucundiſſimoque FRANCISCI TERTII adventu, publica etiam atque illuſtri gratulatione proſequamur. neque enim minus æquum vobis debet videri, lætari nos in veſtris felicitatibus, quam mæſtos in acerbitati-

tatibus fuisse. Certe, si non tantam in secundis rebus vestris præ nobis lætitiam ferremus, quantum mæroris atque tristitiæ in adversis ostendimus, simulatus ille ipse dolor videri posset, nec magis vestra causa, quam privato nostro aliquo incommodo esse susceptus. non enim possumus acerbe casus tristes aliorum ferre, ut non iidem jucunde prosperos ac fortunatos feramus. Ac tum quidem vox oratoris audita est nulla ex hoc loco; vel quod propter vim inusitati doloris obmutueramus, vel quod nulla orationis nostræ facultate levari ægritudinem vestram posse consideremus, vel denique quod consolandi provinciam melioribus auctoribus integram reservari mallemus. at vero in hoc tempore, domestico etiam ex nostroque numero esse locum oratori intelligimus. neque enim aut lætitiæ comes est taciturnitas, aut non aliquem voce etiam nostra lætitiæ vestræ cumulum afferre nos posse speramus, aut, etiamsi gratulationis officium æque commode atque alios exsequi te posse diffidas, idcirco esse prætermittendum homines arbitrantur. Ego autem, cui hæ partes impositæ sunt ac demandatæ, vobis ut, in recentissima hac tantaque lætitia vestra, omnium meorum sodalium nomine gratuler, satis me illis meoque muneri esse facturum confido, si lætitiæ hujus ipsius vestræ caussas mea oratione complexus, & felicitatem vestram in FRANCISCI TERTII fortunatissimo imperio retentam ac constitutam commemorans, jure ac merito tantopere lætari vos ejus adventu præsentiaque docuero. Vos quæso

quæso atque obtestor, ut me de felicitate vestra, maxime libenti animo studiosoque dicentem, benignitate atque benevolentia ea, qua consuestis, audiatis.

Ac primum quantæ felicitati vestræ tribuendum est, Florentini, quod sine ulla hostilis belli vobisque calamitosi non modo vi aut impressione, sed ne terrore quidem aut suspicione, etrusci hujus imperii tanta sit nuper facta mutatio; eaque tranquillitate ac quiete novus hic repente dominatus statusque rerum constitueretur, ut non externus atque longinquus accitus, sed domesticus & paratus ac præsens adscitus esse heres videatur? Repetite ac vobiscum ipsi recordamini præteritorum temporum memoriam, vetustissimis annalium monumentis ac litteris consignatam. Vix reperietis, sine gravibus bellis summaque rerum omnium perturbatione atque hominum maximis calamitatibus, alienorum in vacua imperia successiones contigisse. Quæ quidem ego bella ut justissima plerumque, nec, nisi legitimi juris obtinendi voluntate aut certe opinione, fuisse suscepta concedam: tamen vehementer miseras ac calamitosas videri eas gentes necesse est, de quarum imperio, vel justissimo jure, utrimque certatur. Quin etiam, quo justius cepisse arma sibi pars utraque videtur, eo acrius pertinaciusque contendunt, eo minus ab injuriis ac detrimentis inferendis absistunt: contingitque nonnumquam, ut miserandum in modum diripiantur urbes, regionesque vastentur eæ, quarum possessionem ac fructum sibi quisque de-

deposcit, belloque persequitur: ut sæpe is, qui vicit, non satis, aut ubi consistat, aut quibus imperet, habeat. Veritus enim, ne suum facere non posset, quo de contendebat, perdere illud maluit, quam suis hostibus concedere; cumque adimere illis vellet, quod possiderent, sibi vix, quo potiretur, reliquit. itaque sic tandem domini plerique evadunt, ut eos, quos appetere ac propemodum deperire videbantur, partim perdiderint, partim afflixerint; & in fidem amicitiamqne recipiant, quos ante tamquam adversarios atque hostes tractarunt, quorumque bonis atque fortunis bellum funestissimum intulerunt. qui quidem si imperium moderate ferunt, fortes eos ego atque etiam sapientes appellare possim; felices ac fortunatos appellare quis possit? Vos prope uni, Florentini, in omni fere temporum memoria, hoc assequuti estis, ut, vetustis dominis amissis, in novorum potestatem, sine partium contentione ac sine ulla vestra calamitate, veniretis. inventus est, qui ita præesse vobis atque imperare voluerit, ut, nisi vobis rebusque vestris salvis atque incolumibus, imperium recusaturus videretur; qui non aut improvidos occuparet, aut invitos ac repugnantes caperet, aut, quos alii etiam deposcerent, sibi uni vi atque armis vindicaret: sed volentes atque exoptantes, nemine interveniente aut recusante, non tam sub ditionem ac potestatem redigeret, quam in suam fidem patrociniumque reciperet; qui denique non otium vobis ac tranquillitatem bello turbisque ac

jactu-

jacturis vestris quæsierit, sed beatissimam pacem ac sempiternam pacis adjumentis atque insignibus constituerit: ut non iratus vobis Deus immortalis, id quod nonnulli suspicabantur, ob aliquod delictum, qui optimum vestrique amantissimum principem e medio repente sustulerit, sed certe placatus atque amicus sit existimandus; qui, siquidem illa eventura erant, quæ acciderunt, ita res admiranda quadam providentia gubernarit, ut, in tanta imperii, tamquam orbis, conversione, vix impressam orbitam videretis; mutatisque repente dominis, vestræ pristinæ felicitatis minime esse immutatam conditionem sentiretis. ita vobis superior est princeps ereptus, ut continuo sit alter maxime opportunus ac commodus, Dei benignitate, donatus; nec ille successorem imperii hunc temere fortuitoque nactus, sed consilio ac voluntate destinasse & reliquisse heredem videatur. certe, si non JOANNES GASTO sine liberis decessisset, si moriens, id quod tunc optabatis, filio alicui suo imperium atque opes suas tradidisset, non video, qui tranquillius id ac minore cum rerum vestrarum motu transigi, qui melius tum vobis, Florentini, consuli posset.

Sinite me, quæso, hoc loco, recentis lætitiæ vestræ augendæ cumulandæque causa, paullisper veteris doloris vestri memoriam recordando renovare. neque enim refricare vulnus illud commemorando, sed obduci plane cicatricem, si qua hiabat, præsentium rerum adspectu volo. Scio, id

vulgo in principibus, iis præſertim, quibus diu manſuetis ac commodis uſi ſumus, expeti atque efflagitari, ut, ſiquidem mori ipſi debent, non toti quodammodo moriantur; aliquemque ex ſeſe genitum ac procreatum, in ſpem generis ſubmittentes, ſuam quamdam expreſſam in eo vivamque imaginem hinc abeuntes relinquant. quod ubi contingit, levatur magna ex parte in principum ſuorum obitu luctus populorum. non omnino deſtitutos ſeſe homines unius morte arbitrantur, quos alicui ex eadem ſtirpe ſuperſtiti concreditos & commendatos intelligunt: paternamque in filiis atque avitam virtutem, animos præſertim illos liberales, mites, amantes, de ſuis populis unice ſollicitos atque anxios, eſſe iterum revocandos atque inſtaurandos confidunt. hac illi ſpe erecti atque elati, nihil tam averſantur atque exhorreſcunt, quam ſuorum principum orbitates, nihil tam exoptant ac poſcunt, quam regiæ ſobolis propagationem: quam ſi impetrarint, præſertim poſt longam votorum ſpem atque exſpectationem, videmus, eos præ gaudio, non geſtire atque exſultare, ſed propemodum inſanire. Non poſſum equidem, quod bonum pleriſque mortalium videtur, non bonum ducere. niſi multæ ac magnæ utilitates in principum liberis oſtenderentur, non tantopere de iis expetendis atque efflagitandis fere univerſæ gentes conſentirent. ineſt profecto ſua commoditas, & ad plurimas cum publicas, tum privatas res, in perpetua principum ex eadem gente ſucceſſione, opportunitas. fruantur

tur fane eo bono, quibus datum eft; quo vos etiam, Florentini, fi ita fuperis vifum effet, frueremini. verumtamen fic intelligite; alia vobis ratione, atque haud fcio an commodiore, a Deo immortali, cui certe eftis cariffimi, effe provifum. nihil effe video de veftra felicitate detractum. detractum dico? aliquid etiam effe illi additum confirmo. etfi enim, nafcentibus principum liberis, populorum fit tanta lætitia; eaque re una homines maximum reipublicæ bonum fuamque omnem incolumitatem contineri ac dignitatem putent; tamen, quam fæpe fua ipforum fpe atque opinione fallantur, nec caufam fuiffe, cur tantopere iis nafcentibus lætarentur, quos adultos parum fibi aliquando commodos, five imbecillitate confilii, five naturæ ac voluntatis pravitate, experiuntur, teftantur fcilicet quotquot in hereditariis imperiis non boni principes exftiterunt. Quod fi, jam tum in nafcendo, quales futuri effent, aliquo certo figno atque indicio declararetur; fi de eorum fapientia, juftitia, liberalitate, de reliquis virtutibus, quibus rempublicam adminiftraturi olim funt, tanto ante fciri ac provideri fine ullo errore poffet: tum profecto, liquida plane atque fincera, nec ulla metus aut fufpicionis acerbitate permifta, populorum voluptas & in recens natis principibus lætitia illa effet ac gratulatio juftiffima. ac ne tum quidem non aliquid tamen ad eam augendam ac cumulandam poffet accedere, fi, quæ bona in univerfos olim profectura confpicerentur, eorum fructus,

tionis molestia, sed quod tanta nobilitate conspicuus, tantis virtutibus præditus, tam denique vestri amans vobis princeps obtigerit.

Si generis vetustam neque interruptam claritatem spectarimus, audebo dicere, ne si optio quidem daretur, ex clariore magisque nobilitata gente deligi potuisse. ab ipso Carolo, Francorum rege, in quem longo intervallo Romanorum vetus imperium revocatum est atque translatum, quique non populari assentatione, sed incredibilium virtutum admiratione, Magni cognomen est consequutus, Lotharingicæ familiæ hujus duci primordia non ignoratis. Num multas toto orbe terrarum familias arbitramini tam antiqua, tamque illustri posse nobilitate censeri? nonne, si quæ amplissimæ existimantur, ab eodem illo auctore ac principe amplitudinem suam repetant necesse est? nam, quam multi ex hac gente tum belli tum domi præstantes ac plane singulares viri deinceps atque admirandi prodierint, quibus imperiis atque honoribus, quantaque nominis celebritate floruerint, quid me attinet commemorare? Possem Gothofridum Bullionium, illum, cujus ductu atque auspiciis iter est ad Hierosolymorum urbem, antea obstructum atque interclusum, Barbarorum internecione, nostris exercitibus patefactum; & religiosissimum illud humani generis ad salutem, Deo vindice, revocati, monumentum, Christi sepulchrum, ex hostium ditione ac potestate ereptum, populo christiano est restitutum: possem

duos Carolos, quartum & quintum, Lotharingiæ clarissimos Duces: possem duos Guisæ item Duces, Franciscum atque Henricum: possem innumerabiles alios proferre; qui, cum pacis artibus apprime florerent, maximis bellis, præsertim pro Religione suscipiendis, perfecerunt, ut, non cum aliis, sed secum ipsi de summa dignitate & in omni laudis genere præstantia certare viderentur.

Verum me rapit ad se jam dudum, & quodammodo absorbet orationem meam FRANCISCI TERTII incredibilis vis animi ac magnitudo, pietas, moderatio, sapientia, justitia, fortitudo, virtutes omnes; quibus majores suos non tam singulos æmulatur, quam unus exhibet universos: quæ quidem tantæ sunt, ut constitui satis ac dijudicari non queat, plusne ille majoribus suis, an illi majores sui debeant, & num ille ex suis, an sui ex illo crescant. hoc brevissimum dictu est, idemque verissimum, non egere alienis laudibus, qui abundet suis; nec, si nullos tales ex sua gente majores habuisset, idcirco nos hominem, satis per se cognitum atque spectatum, minus admiraturos. Quo quidem loco hoc mihi levius onus imponi video, eoque me breviorem esse oportebit, quod FRANCISCI TERTII virtutes cum notissimæ vobis, tum etiam summa in admiratione sunt: ut earum a me non modo exornatio, sed ne commemoratio quidem quæri aut exspectari videatur: quorum alterum molestum vobis, de notissimis rebus a me doceri; alterum

mihi

mihi periculosum ac turpe, ipsi illi, quem exornare velim, incommodum atque inimicum, si forte opinioni de illo vestræ mirificæ, amplissimisque judiciis minime orationis meæ studio celebrandi hominis ac facultate responderem. Perficiam tamen, ut neque in virtutum ejus commemoratione verser, & tamen intelligatis, ita me universas fuisse complexum, ut a nemine neque distinctius explicari, neque uberius ornari amplificarique potuerint. adestote igitur animis, quotquot heic adestis corporibus, & me de FRANCISCI TERTII virtutibus nullam præcipuam commemorantem, ac tamen nullam prætermittentem, diligenter attendite. neque enim vereor, ne aut quidquam mihi arrogasse, quod præstare non possim, aut quidquam FRANCISCO, quod illi debeatur, videar derogasse. breve est, quod dicam, sed quo uno & fidem meam liberaro, & omnia illi summa concessero.

FRANCISCUS TERTIUS is est, cui CAROLUS SEXTUS, Imperator Augustus, & summam belli gravissimi contra Turcas commiserit, & MARIAM TERESIAM, filiarum maximam natu carissimamque, desponderit. Potuitne FRANCISCUS TERTIUS magnificentius, cumulatius, explicatius a me, quam sapientissimi Cæsaris tanto studio judicioque laudari? quæ potest huic, bellica præsertim, virtus abesse, quem suis provinciis in potestate retinendis, sui nominis dignitati conservandæ, Christiano imperio ab immanissimis gentibus tutando, omnium mortalium securitati præstandæ, CAROLUS Cæsar

præposuit, & Eugenio illi magno atque invictissimo subrogavit? non possum magis laudare Cæsarem, quam Cæsarem appellando: neque ulla major FRANCISCI TERTII laudatio esse potest, quam tanti a tanto Cæsare fieri.

Agite vero: quanta ejusdem hominis dignitas ex eo, immo vero in eo declaratur, quod idem Cæsar dignum judicarit, cui filiam carissimam, electissimam fæminam, in matrimonium daret? Non ille hunc delegisset, si quem magis probasset: & certe alium probasset, si quem potiorem reperisset. præter enim patriam caritatem illam, qua parentes in liberos natura sunt propensi, ut eos etiam, qui minus videntur diligendi esse, maxime diligant, eisque optimam vivendi conditionem facultatemque comparent; illa etiam Cæsari amoris erga filiam, & paternæ de ea bene, ex animique ejus sententia, collocanda, curæ ac sollicitudinis causa accedebat, quod pro lectissima, nec suo modo, sed omnium gentium amore dignissima fæmina laborabat. capiebatur mirandum in modum eximia virginis honestissimaque forma; in qua neque majestas pulchritudinem desideraret, nec pulchritudo quidquam de majestate decerperet; ut altera re matrem pulcherrimam, altera verendum augustumque patrem, mira quadam utriusque rei confusione ac temperamento, referret: indolem præsertim egregiam, suavissimos castissimosque mores, perspicax ingenium, plurimarum rerum scientiam, dicta, facta filiæ rarissimæ non modico neque

usita-

usitato patrum amore, sed immenso quodam ac singulari prosequebatur. Huic tantæ tam eximiæque virtuti pari virtute vir quæsitus est; quem non modo Cæsar, verum etiam Cæsaris filia, cui maxime consultum in hac quidem re ipse Cæsar volebat, tanto conjugio dignum judicaret. Habetis igitur utriusque gravissimis judiciis, CAROLI MARIÆQUE TERESIÆ, FRANCISCUM TERTIUM reliquis prælatum omnibus: ut omnes summasque virtutes confitendum sit inesse ei, quem Cæsar sibi generum legit, Cæsaris filia sibi conjugem optavit. Si quis adhuc, quanta sit FRANCISCI TERTII dignitas atque amplitudo, non satis intelligit, nec de ejus universis maximisque virtutibus satis a me esse dictum arbitratur, is specie quidem mihi facultatique meæ non nihil detrahit; re autem vera plus, quam ego velim ac res ipsa patitur, tribuit atque concedit. majorem enim orationi meæ, quam tantis, quantas attuli, auctoritatibus fidem habiturus videtur, qui meæ potius vocis auctoritatem ac testimonium requirit. Ego autem nihil mihi, omnia tribui veris argumentis ac rationibus volo.

Vobis igitur mirifice gratulor, Florentini, omniumque gratulatione felicitatem vestram prosequendam censeo, qui Cæsaris Filiæque Cæsaris judicio probatum, hoc est, omni virtutum, quæ cadere in hominem possunt, genere præditum atque ornatum principem nacti estis. Qui si idem amore est erga vos incredibili quodam ac singulari, si tantarum virtutum fructum in ve-

stram incolumitatem ac commodum est collaturus, ac sui quodammodo oblitus de vobis est unice cogitaturus; immensum quiddam atque infinitum est, quod ad vestram totiusque Etruriæ felicitatem accedat. De quo ne dubitare possitis, duo illa paullisper tempora animis vestris proponite: alterum, quo primum fuit huic imperio destinatus; alterum, quo nuper ad vos ex Germania venit. nihil illo vestri vestrorumque commodorum amantius fieri aut cogitari posse intelligetis.

Lotharingiæ, quæ Galliæ Belgicæ regio est multo amplissima ac florentissima, FRANCISCUS TERTIUS imperitabat. erat id ei paternum avitumque & ab ultimis usque majoribus, jure hereditario, traditum ac commendatum imperium: quod ita diligenter ac studiose retinebat, ut in eo conservando suas omnes totiusque posteritatis suæ fortunas esse positas & constitutas arbitraretur; nihilque mallet, quam inclyto conjugio, affluentibus copiis ac multiplici prole florescentem, patrio inter suos regno consenescere. Colebant autem eum populi sic ac diligebant, ut sua bona sibi diripi, vitamque adeo eripi mallent, quam suum ab se divelli principem ac distrahi passuri esse viderentur. Ecce autem de Etruriæ successore subrogando, vestris temporibus ita poscentibus, & de florentissimo hoc imperio FRANCISCO TERTIO committendo agi cœptum est. Cohorruit Lotharingia universa improviso acerbissimoque nuncio: vox propemodum ac spiritus est, tam horribilis calamitatis denun-

nunciatione ac metu, omnibus interclusus. mærebant, afflictabantur, prope exanimati concidebant. denique, cum jam nihil in vita fore posthac jucundum sibi, FRANCISCO amisso, confiderent, crudelem vitam abrumpere ac mori potius, quam in tanta rerum suarum acerbitate versari cupiebant. una modo spe illa sustentabantur animi, fore, uti conditionem FRANCISCUS nequaquam acciperet, suorumque rationes potiores, quam alienorum duceret. verum, ubi non ita esse intellectum est, ac de vestris commodis cogitantem illum Etruriam Lotharingiæ præferre senserunt: tum enimvero desperare rebus suis omnino cœperunt; & vicem dolentes suam, fortunæque inconstantiam atque impetum incusantes, durius secum agi, quam cum cæteris gentibus, atque atrocius statuerunt. etenim cæteris eripiuntur fere principes necessitate moriendi atque natura; sibi viventem atque adeo vigentem florentemque eripi intelligebant: ut in acerbissimo suo gravissimoque casu non exspectata communis humanitatis conditio, sed multo ante repræsentata videretur. Ex sensu doloris vestri, quem tam acerbum, Florentini, in obitu superioris principis, non sine ratione justissimisque caussis, suscepistis, quam graviter Lotharingi abitum sui principis atque amissionem tulerint ac ferre debuerint, existimare potestis. nam in obitu quidem vel carissimorum, etsi gravi dolore ac desiderio angimur, tamen, cum naturæ repugnare, nec necessitati fatoque parere minime sani esse sentiamus, ratione in

in consilium advocata, naturales illos immoderatosque motus, ubi paullulum sese effuderunt atque jactarunt, cohibemus continuo atque comprimimus. at vero in carorum hominum discessu, quos non mortali conditione, sed casu voluntario aliquo in perpetuum amittimus, non a natura, cui esse acquiescendum putamus, sed ab hominum iniquitate, cui resisti ac repugnari in nostris incommodis posse atque adeo debere censemus, invadi nos ac violari arbitramur; ut iniquius aliquando atque ægrius vivorum, quam mortuorum discessum atque discidium feramus. Neque hæc FRANCISCUS non intelligebat; quantoque in mærore Lotharingi, profectione illa sua ac fuga, futuri essent, videbat. erat illi grata ac jucunda tanta suorum erga se studii benevolentiæque significatio; amabat amorem; dolore ac luctu commovebatur. verumtamen obversabatur illi ante oculos Etruria; quæ illecebris nescio quibus suis, occultaque quadam amoris vi ac vehementi, eum ad sese rapiebat potius, quam invitabat. cessit enimvero blandissimo lenocinio; tradidit sese atque addixit Etruriæ; vosque jam tum mente animoque complexus, alienos prætulit suis, nec, nisi vos, duxit suos.

Hoc quantum est, Florentini! quam inusitatum! quam inauditum! quantaque in eo incredibilis erga vos vis amoris ostenditur! neque enim mediocribus quibusdam vinculis adstricti patriis quisque regionibus retinemur. heic incunabula, heic sedes, heic gentis insignia, heic monimenta majorum, con-

consuetudines amicorum, conjunctiones propinquorum, senectutis perfugium, &, vel in ipsa morte, multa tot inter caros solatia, funeris piæ comploratione, sepulturæ domesticæ religiones. itaque sapienter inductus esse a summo poeta (a) prudentissimus vir Ulysses existimatur; cui cum Calypso immortale ævum, secum si perpetuo manere vellet, polliceretur, negavit; Ithacamque illam suam, in asperrimis saxis, tamquam nidilum, affixam, ipsi immortalitati anteposuit. Nimirum omnes omnium caritates Patriæ caritas vincit. sed hanc ipsam tamen rerum omnium victricem caritatem Francisci Tertii inaudita erga vos atque incredibilis caritas vicit. statuit, hanc, quæ vestra patria est, sibi non esse alienam; illam, quæ vestra non esset, non duxit suam: ac, tamquam inter vos vobisque unice natus esset, vobis inter vos ac vobiscum vivere, animum vestri amantissimus princeps induxit.

Jam, quale ad vos iter, abdicato Lotharingiæ imperio, proxime instituerit, extremo loco cognoscite. expleri felicitatem vestram ac plane cumulari, tanta ac tam singulari amoris significatione, intelligetis. Profectionem ille quidem aliquamdiu italicam distulit; neque statim, ac vester esse princeps cœpit, vobis præsentiæ suæ copiam fecit. maximo difficillimoque bello implicatus, quo bello rei Christianæ salus ac dignitas agebatur, itineris faciendi tempus publicis temporibus esse transmittendum puta-

(a) Homer. Odyss. l. v.

tavit. verum ille ita a vobis abfuit, ut veſtræ etiam incolumitati atque otio tum maxime proſpexerit, ſuiſque laboribus atque periculis, ſollicito animo atque amantiſſimo conſuluerit. non ferociſſimorum hoſtium impetum atque immanitatem pertimeſcebat, non ullam dimicationem, non ullum vitæ diſcrimen in acie atque in prœliis pro communi, veſtraque potiſſimum, ſalute deprecabatur. equidem de tanto imperatore non poſſum dicere, caviſſe eum ſibi aliquando, quo caveret vobis; vitæque ſuæ aliqua in re peperciſſe, ut eam veſtræ felicitati ac bono reſervaret. illud mihi videor vere eſſe dicturus: ſi quid illi, in tanto bello quotidianiſque contentionibus atque periculis, humanitus accidiſſet, non id fortiſſimo viro doliturum fuiſſe, quod vitam, naturæ debitam, immortalitati ac gloriæ redderet; ſed quod veſtro conſpectu, multo jucundiſſimo atque exoptato, antequam e vita excederet, caruiſſet. Sed omen triſtiſſimum atque horribile ac omne periculum ſuperi averterunt; ſibi vobiſque ſervarunt; incolumem atque victorem præſtiterunt. Ponuntur arma; miles in hiberna dimittitur; res bellicæ paullulum conquieſcunt. Num heic FRANCISCUM etiam, num amantiſſimi principis de vobis curam ac ſollicitudinem, num deſiderium quamprimum videndi vos, Florentini, conquieturum putatis? Iter illi ex Hungaria continuo Viennam: Vienna confeſtim ad vos cogitabat. Quo tuus iſte curſus, impiger atque invicte imperator? quo tanta feſtinatio iſta atque celeritas pertinet? nul-

nullamne diuturno militiæ labore atque opere, assiduisque ac difficillimis itineribus defatigato corpori atque confecto, nullam tanti belli administratione ac curis defessæ menti atque contractæ convenit requietem ac relaxationem dari? atqui victrices legiones tuæ, te non modo permittente, sed imperante, curant sese hoc tempore atque reficiunt; vacuæque curis atque laboribus, summa tranquillitate in hibernis atque otio suavissimo perfruuntur. iniquum est profecto, ducem, cessante milite, laborare. quid? sævissimam anni maximeque infestam tempestatem non animadvertis? dabis te igitur summa hieme in iter? non montium difficiles lubricosque adscensus atque descensus, non torrentium ac fluminum periculosos transitus, non viarum salebras asperrimas cæcosque hiatus, non imbres, non nives, non vim ventorum ac frigorum pertimescis? nos tectis urbium parietibusque defensi insolitam cæli intemperiem atque inclementiam ferre vix possumus. quid sub dio, inter Apenninorum pruinas illas ac nives, iter habentibus fiet? Sed ne perpetuo quidem ac non interrupto itinere venire in Italiam, cursuque consueto poteris. obvallatos aditus atque interclusos pestilentiæ metu ac suspicionibus offendes. si recte te atque animum tuum novi, ægrius hasce moras, quam reliquas itinerum difficultates feres. molestum est, tot inter cæli terræque incommoda, peregrinari: properantem vero in medio cursu detineri ac retardari, certe molestius ac non ferendum.

dum. Hæc omnia, princeps, vitaris, vitæque tuæ, qua nostra omnium continetur, valetudinique peperceris, si istud iter in aliam, quæ mox ventura est, magis idoneam tempestatem distuleris. perfer modo desiderium: sine, paullulum frangat sese vis hiemis atque cæli: dum itinera libera atque aperta fiant, paullisper exspecta. serius ad nos, modo tutius ac sine molestia tua, princeps, veni.

Hisce vocibus amantissimis Etruria, ut mihi quidem videtur, principem suum, ubi primum de ejus consilio huc ad vos, post tanti belli labores, perque itinerum tot incommoda, veniendi cognovit, anxia atque sollicita compellabat: quibus incensam motæque impatientem hominis cupiditatem restingueret ac retardaret. Quid ille? num sibi persuaderi quidquam est passus? num orationi succubuit? num precibus concessit? Cessisset ille quidem (nam quid est illo mitius atque indulgentius?) neque quidquam repugnasset, nisi in eo, quod rogabatur, amori erga vos suo, acri ac vehementi, vim quamdam fieri, aut certe modum statui præscribique sensisset. non ille ita vos diligebat, ut, vel rogatu vestro, posset aut minus diligere vos, aut minores, quam ipse vellet, diligendi vos significationes dare. de itinere etrusco, sine cunctatione suscipiendo, agere adhuc armatus bellique egregio pulvere pæne sordidus cœpit.

Heic jam certe uxor amantissima intercedet: &, quod Etruria a principe non potuit, ipsa a viro profecto impetrabit. num

ab-

abire, vix ex belli ore tantiſque periculis ereptum, ex longoque, quo pæne contabuerat, deſiderio receptum; & diuturnis perque incommodis itineribus ſeſe, tam adverſa tempeſtate, committere cariſſimum atque amantiſſimum conjugem ſinet? Quod ſi ſe comitem ac ſociam itinerum ac laborum adjungere generoſa atque amans virago deſtinarit; ſi, ne cupido profectionis viro retinendo moleſta ſit, ſibi, viri cupidiſſimæ, remanendo infeſta ac gravis, una ſimul proficiſci atque in iter ſe dare conſtituerit: huic certe ſuaviſſimæ filiæ tali conſilio providentiſſimus pater obſtabit, mater amantiſſima repugnabit. non poterit tantam utriuſque auctoritatem illa defugere: nolet hunc acerbiſſimum cariſſimis parentibus dolorem inurere: ſi non imperio, at certe precibus lacrymiſque flectetur. ita MARIAM TERESIAM parentes abire non ſinent; FRANCISCUM abire non ſinet uxor; Etruria ſui principis incommodorum metu curaque levabitur.

Sed jam tempus illud metus ac ſollicitudinis abiit, Florentini. nunc decet, quoniam quidem tam belle res e veſtroque commodo proceſſerunt, tantummodo lætari vos atque geſtire, nec de præteritis veſtri principis incommodis, niſi ut eximium ac ſingularem hominis erga vos amorem, in iis veſtra cauſa ſuſcipiendis ac tolerandis, intelligatis, cogitare: quibus uſque adeo deterreri ſe non eſt paſſus, ut in eorumdem ſocietatem non modo inclytum FRATREM, verum etiam auguſtam CONJU-

GEM,


GEM, volentem illam quidem, nec viro quidquam de amore erga eosdem vos concedentem, vobis quam illi certe commodior, vestri studiosissimus cupidissimusque vocarit. Iter longum atque difficile, horrida maximeque infesta tempestate, non mærore, non lacrymis amantissimorum sui carissimorumque permoti, læti atque alacres ingressi sunt: nec vero illi, quam difficilis esset via, sed quam longa, cogitabant: cujus si brevitas incommodis suscipiendis redimi potuisset, multis partibus plura ac graviora, quo fieret illa brevissima, suscipere non dubitassent. Nihil solet esse viatoribus tam opportunum tamque jucundum, quam paratæ diversoriorum stationes; ubi diurnis laboribus molestiaque defuncti, nocturnæ quietis aliquid ac levationis defatigatis corporibus, tædioque affectis animis impertiant. Quo reliqui capiuntur ac recreantur, eo nihil illis, ad vos inflammato studio properantibus, odiosius atque molestius: ut quiete defatigari, itinere ac cursu levari ac refici viderentur. assiduus illis de vobis inter se sermo; vix ulla secum, nisi de vobis, cogitatio. quo propius Etruriam accedebant, eo minus eos tanti itineris suscepti tantorumque incommodorum pœnitebat: quinimmo eo ipsi magis de tali consilio suo propositoque gaudebant. Ut vero in conspectu ex edito quodam propinquoque loco Florentia fuit, non secus affectos eos intimisque commotos sensibus affirmant, ac si, non hospitam tum primum terram adspicerent, sed dulcissimam patriam, ex longo erro-

errore ac veluti postliminio, reviserent. Hasce inter itinerum asperitates, animorum autem tam sedulas atque officiosas curas, tandem ad vos vestri amantissimi principes pervenerunt.

Heic ego jam finem dicendi faciam necesse est. plura ac majora vel in ipso illo primo adventu vidistis atque experti estis, quam quæ ego assequi aut complecti oratione mea possim. O noctem illam beatam & prope ad immortalitatis memoriam consecrandam! o occursus illos vestros, cum dignitatis, tum etiam inusitatæ cujusdam jucunditatis plenissimos! o effusas gratulationes! o secundos festosque clamores, quibus peregre venientes excepistis! quis non interfuit? quis non gaudio lætitiaque exsilivit? quis non, suorum principum adspectu mirifice captus ac delinitus, populorum felicitatem intra mœnia receptam sensit? o consequentes deinceps dies, vobis Etruriæque universæ auspicatissimos, & futuræ omni posteritati vestræ, tamquam sacros, quotannis colendos ac celebrandos; quibus, tot jam signis atque indiciis amoris, tam brevi tempore, editis ac declaratis, quam cari vestris principibus essetis, sentire potuistis! Videtis profecto, prima illa hisce novissimis pulcherrime respondere. Etrusci imperii successorem, statim ac superiore principe orbati estis, talem a Deo immortali paratum vobis atque oblatum, me dicente, cognovistis, qui sine bello aut tumultu, sine animorum ancipiti atque anxia, qualis futurus esset, dubitatione, sine temporis mora,

matu-

maturus jam tum atque perfectus, & summis virtutibus cum bellicis, tum domesticis præditus, amore præsertim erga vos singulari, olim in Etruriam veniens suis populis imperaret. Hac tanta felicitate, quæ vobis tum ventura ostendebatur, allata ac præsente nuper potiti estis. nihil jam, quo omnium gentium feliciſſimi & ſitis & habeamini, esse reliquum intelligo, nisi (id quod ab eodem immortali Deo omnes, qui vestro nomini ac commodis maxime favemus, enixe petimus atque precamur) ut vestris principibus diutissime vos, vestrorum principum filiis atque nepotibus, eorum similibus, vestra posteritas omnis atque Etruria universa, perpetua ac sempiterna successione, perfruatur. Dixi.



ORA-

ORATIO VII.

PRO SCHOLIS PUBLICIS TERTIA
HABITA FLORENTIÆ
XVIII. KAL. FEBRUARIAS MDCCXXXX.
CORAM
FRANCISCO MARIA MARTELLIO
FLORENTINÆ CIVITATIS ARCHIEPISCOPO.



Ellem equidem, Florentini, quod olim pollicitus sum (*a*), inquisiturum me causas, in concionemque allaturum, quam ob rem fieri existimarem, ut e scholis publicis minores, quam oporteret, fructus vulgo a discentibus perciperentur, id una dumtaxat oratione (quod me facturum ostenderam) effici a me posse hoc tempore atque præstari. Nihil aut consilio illi meo atque promissis, nihil exspectationi vestræ, nihil denique causæ ipsi accommodatius posset accidere, quam si unam eamdemque rem non in tam multa tamquam membra conciderem, ex quibus mihi in singulos deinceps annos aliæ atque aliæ orationes nascerentur, sed universam paucis aliquot actionibus comprehensam atque conclusam tandem aliquando perorarem. Verum fit nescio quo modo, ut, cum eam causæ partem, de qua dicturus sum, mecum ipse attentius diligen-

(*a*) *In Oratione II. pro publicis scholis anno* 1738. *habita*.

gentiusque commentor, illico mihi non jam pars ea, sed totum quoddam, in alias atque alias partes necessario tribuendum, esse videatur. Certe tam multa sunt, quæ menti in illa cogitatione objiciuntur meæ, tam sæpe inter se varia atque diversa, tam denique ampla ac longe lateque patentia, ut, aut cursim ac leviter percurrere singula debeam, si omnia simul complecti velim (id quod, ut in aliis fortasse dicendi generibus ferri possit, atque adeo, si non inscite confuseque fiat, laudari, in oratorio certe hoc nostro est vitiosissimum, atque a magistris artis jure reprehensum), aut, si explicanda res est, in bonoque, ut ajunt, lumine collocanda, & ad vulgi captum sensusque accommodanda, sequi partitiones illas meas & quasi membra cogar. Jam, cum causas, quamobrem diuturnior aliquando, quam oporteret, adolescentulorum in scholis publicis sit institutio, mecum ipse attentius quærerem, has ita multas tamque certas reperiebam, ut in earum diligenti cum enumeratione tum commemoratione perspicuam ac manifestam earumdem scholarum purgationem sitam esse intelligerem. videbam enim, non ingeniosos semper, sed sæpe hebetes ac tardos, & aliis fortasse facultatibus artibusque, quam huic litterarum, aptiores ad publica gymnasia confluere: alios autem non satis initiis illis atque elementis, sine quibus ad ulteriora adspirare nemo possit, institutos atque instructos accedere: aliis librorum necessariam copiam, parentum sive inopia sive avaritia, non suppete-

petere: alios, propter nimiam eorumdem parentum, matrum præsertim, indulgentiam, non modo non suppliciis, sed ne objurgationibus quidem posse a magistris ad studiorum suscipiendos ac tolerandos labores cogi: alios ita ad publicas scholas mitti, ut tamen publicis præceptoribus committi non videantur; nemo enim, neque pater, neque patruus, neque avunculus, neque propinquus quisquam aut primum eos ad præceptorem, saltem officii causa, deducit, aut deinde de iis, eorumque studio ac diligentia quidquam totis annis ab eodem præceptore sciscitatur: ut mirum non sit, si & ejusmodi discipuli negligentiores ipsi evadant, qui se negligi a suis videant, & magistri publici, qui non minus eos a domesticis, quam se neglectos intelligunt, minus diligentiæ aliquando in iis erudiendis impendant. Sed parum est, discipulos nulla parentum aut propinquorum voce publicis doctoribus commendari. exemplo sæpe domestico a discendo proficiendoque abducuntur. aulæa, tabulas pictas, specula, statuas, lectos, peristromata, sellas, abacos, candelabra, argenti vim atque auri domi ingentem intuentur; librariæ supellectilis, præter accepti & expensi codices, nihil usquam vident. conviviis, cantibus, aleæ, saltationibus, salutationibus, nocturnis coetibus atque colloquiis operam assiduam dari animadvertunt. hoc unum studiorum genus, quod unum coli a parentibus adamarique sentiunt, colendum sibi liberi atque adamandum putant; &, majorem domesticis suo-

rum exemplis, quam scholasticis alienorum ad alia quædam studia cohortationibus vim atque auctoritatem inesse oportere, sibi prope jure persuadent. Hæ sunt, Florentini, studiorum illæ ac studiosorum in publicis gymnasiis moræ. hinc illa doctrinæ tradendæ, sive potius percipiendæ, sæpe diuturnitas. privatarum domorum crimen in publicas scholas confertur: patrumfamilias ac domesticorum culpa atque peccato publici doctores offendimus; & aliorum, non nostra, infamia laboramus. Non unius orationis hæc sunt, sed plurimarum; siquidem unumquodque patefaciendum atque illustrandum est. Videte, quanto etiam latius hoc pateat. nihil eorum, quæ proxime commemoravi, hodierna hac mea oratione attingam. ea in aliud tempus integra reservabo. aliam quamdam, vulgo minime animadversam, sed meo judicio certissimam atque gravissimam, diuturnioris hujus in scholis publicis institutionis causam hoc tempore afferam atque explicabo. sic enim statuo: Ingratum nonnullorum, cum a magistris recesserunt, in eosdem animum, multum eorum, qui in scholis publicis exercentur, progressibus in litteris obesse. Fortasse vere id etiam de iis, qui privatis doctoribus utuntur, dici queat. sed certe & usitatius est, in turba ingratos reperiri, &, si incommodum privatis etiam scholis hoc vitium est, sit sane earum etiam causa, me publico doctore pro publicis scholis agente, defensa. neque enim id mihi umquam proposui, ut in publicarum scholarum defensione non

non nisi ea dicerem, quæ illarum dumtaxat causæ prodessent; quasi reliquis scholis irascerer, nec tam publicas defendere, quam privatas accusare videri vellem. Quam sit igitur hoc ingrati discipulorum animi vitium publicis magistris invisum, & qua ratione discentium progressus retardet, ita dicam, si a vobis ante petiero, ut me dicentem, qua soliti estis, humanitate, ac diligenter audiatis.

Accidere hoc sæpenumero crebroque usuvenire, ut, quibus summa, post Deum immortalem atque parentes, debetur ab hominibus gratia, iis nulla ab ingratis discipulis, e scholis ubi excesserint, habeatur, notius est, quam ut testificatione aut mea aut cujusquam indigeat. audistis enim profecto, nonnullos aliquando exstitisse, qui, magistri qui sibi olim fuerint, omnino nescirent: audistis, qui, tametsi nossent, tamen dissimularent, obviosque tamquam ignotos præterirent: audistis denique, qui oderint, vituperarent, insectarentur. nota sunt, quæ de Evathlo ab A. Gellio (a) contra Protagoram, de Aristotele contra Platonem ab Laertio (b), de Tisia contra Coracem ab Suida, sive dicta sive facta, a discipulis nimirum contra magistros, commemorantur. sed, ne longius abeamus, legistis, opinor, summi illius apud vos, sæculo decimoquinto exeunte, doctoris Angeli Politiani quasdam ad Georgium Merulam datas litteras (c): qui-

H 2 bus

(a) *Noct. att. l.V. cap.*10.
(b) *In Arist. vita.* (c) *Epist. Lib.XI.*

bus in litteris illa sunt. *Solent minuti quidam & pusilli famam quoque libenter magistrorum suorum detrectare. Cujusmodi hominum malignitates, ingratumque animum in nos quoque, interdum magis etiam, quam volumus, experimur.* Miror hominis sapientissimi moderationem, qui, in rem, indignissimam acerbissimique sensus, ingressus, ita orationi moderatus est suæ, ut factum modo commemorarit, de facti indignitate de suoque sensu siluerit. sed ille nimirum non id, illa cum scriberet, agebat, ut in ingratos discipulos ullos suos inveheretur, & ad disceptationem cum Merula, violatæque amicitiæ purgationem properabat. At vero vix arbitror reperiri quemquam posse, qui quidem expertus sit tale aliquid aliquando, cui non eorum, quos edocuerit, ac tamquam alter parens eduxerit, immo quodammodo procrearit, ingrati in se animi commemoratio, aut vero etiam cogitatio, & acerbissimum dolorem inurat, & justissimas etiam doloris sui voces eliciat atque exprimat. possumus tardos ferre discipulos, possumus cessantes, possumus garrulos, possumus feroces atque protervos, possumus: ingratos ferre non possumus. nimirum intolerabilius est hoc vitium atque inhumanius, quam ut ei ferendo hominum patientia par esse possit. reliqua odimus atque aversamur; hoc, tamquam auspicium quoddam malum, detestamur a nobis, ac perhorrescimus. alia vel humana sunt, vel certe cum bestiis ferisque communia: ab hoc vel immanes ipsas beluas abhorrere intelligimus, quas benef-

ciis

ciis hominum sæpe capi, gratiaque affici sentimus. tam denique est non humanæ conditionis hoc vitium atque naturæ, ut, qui se avaros, qui libidinosos, qui iracundos, qui etiam crudeles confiterentur, atque adeo præ se etiam ferrent, inventi sint: contra, qui ingratum fateri se velit, reperiatur nemo. itaque illi ipsi, qui vel maxime hoc vitio laborant suntque ingratissimi, non se beneficio non respondere, sed nullum a se deberi profitentur: non gratiam illi quidem tollunt, sed merita non agnoscunt: neque interim animadvertunt, duplici se, quando ita se gerunt, esse nomine ingratos, & quod beneficio non respondent, & quod ne sentiunt quidem beneficium. Quid ego, inquit ex istorum ingratorum grege aliquis, quid ego magistris illis, puerilisque ætatis meæ moderatoribus debeam? num illi me doctrina illa sua tradenda doctum effecerunt? non ego mihimet, legendo quærendoque, doctrinam deinceps, quæcumque est in me, meo Marte comparavi? illi me tantummodo rudem atque impolitum ad doctrinam quodammodo edolaverunt. Atqui hoc quidem satis est, o ingratissime, ut illis plurimum debeas. nam ne mater quidem tua virum te peperit, sed infantem. attamen, quod vir sis, matri tuæ debes: nisi enim te infantem peperisset, numquam certe vir esse potuisses. At, quæ me magister ille meus edocuit, poterat quivis e magistrorum turba edocere. Nempe, tum non tu quidem nemini, sed huic potius, quam illi tuo, deberes. At certe, si nulli me magistro pa-

rentes mei commendassent, poteram tamen ipse per me, quod nonnulli ingenio naturaque adjuti fecerunt, & crebris doctorum hominum congressionibus, & librorum assidua diligentique lectione, litteras discere. Primum nescio. deinde, si concederem, tamen te eadem etiam tum referendæ gratiæ tamquam vincula invitum ac reluctantem obligarent atque constringerent. deberes nimirum doctis illis hominibus, quorum eruditis sermonibus profecisses: deberes illorum librorum scriptoribus, qui tecum doctrinam suam, scribendi labore suscepto, communicassent. hi tibi pro magistris, immo plane magistri tum essent; hisque deberes. saltem Deo illi immortali bonorumque omnium largitori deberes; qui te eo ingenio atque acumine præditum esse voluisset, ut, etiam sine doctoris ullius opera, posses per te ipse discere. alio tum magistro nempe uterere, non omni careres: gratiæ versuram, ut ita dicam, faceres, non omnino debitor esse desineres.

Hæc plerique, quamquam verissime planissimeque dicta, tamen sive non intelligunt, sive, qua perversitate ingenii morumque sunt, non intelligere sese simulant: certe ita se gerunt, ut meritam præceptoribus suis debitamque gratiam non modo re, sed ne verbis quidem aut memori saltem mente persolvant. quinimmo, quod de Aristotele magister Plato esse olim questus dicitur (a), tamquam equulei ferocientes, qui matrem vix nati

(a) *Apud Laertium in Vita Aristotelis.*

nati calcibus ſæpe ſuam petunt, ſic illi in præceptores ſuos, vixdum in doctrinarum per eos tamquam lucem editi, recalcitrant atque infeſtiſſimi reperiuntur.

Quod ſi divina quadam animi præſenſione magiſtri ipſi poſſent eos, qui tales futuri eſſent, ante cognoſcere, caverent, opinor, ab iis, nullumque eſſe illis in gymnaſiis ſuis locum, ubi conſiſterent, paterentur; nec iſtas tamquam viperas in ſinu foverent, a quibus ſcirent aliquando crudeliſſimo ſe morſu eſſe laniandos. nunc, quod divinare nemo poſſit, qui potiſſimum ſint tales evaſuri, timentur etiam ii, qui fortaſſe gratiſſimi futuri ſunt: omneſque, paucorum vitio, diſcipuli, non dicam odio a magiſtris habentur, ſed certe minus amantur; nec negliguntur illi quidem, ſed fortaſſe non ita ſedulo diligenterque excoluntur.

Ajunt, laniſtam olim quemdam ab ſuo ipſum diſcipulo ad ſingulare certamen in ludo gladiatorio provocatum, ante quam congrederetur, domeſticis imperaſſe, ut, cum initum certamen eſſet, ſeque aliquantum cum diſcipulo batuiſſe ac dimicaſſe ſenſiſſent, clamorem repente e proximo conclavi tollerent, ſtrepitumque rixæ ac pugnæ ſimilem cierent. quod illi cum ita, uti erant juſſi, feciſſent, eoque improviſo inopinatoque tumultu adoleſcens commotus, oculos paullulum vultumque ad eam partem, unde ſtrepitus exaudiebatur, convertiſſet: tum laniſtam, momentum illud ac defenſionis moram captantem atque arripientem, continuo petitionem ſuam magnis viribus plagamque

conjecisse, & adversarii imparati pectus gladio transverberantem dixisse: *Hoc te scilicet non docueram; cominus pugnantem nihil, nisi de adversario, cogitare oportere*. Nempe hic discipuli ferocitatem jamdiu timens, &, ne arte, quam docebatur, aliquando contra magistrum abuteretur, veritus, quod sibi damno ac calamitati esse poterat, id in tradenda arte non docuit. recte ne, an secus, non disputo. illud dico: si quando segniores in docendo magistri publici reperiuntur, si non, quantum possent, in erudiendo contendunt, si non iterant præcepta artis atque inculcant, si multa etiam reticent continentque, si denique non nisi certas illas scholæ præstitutasque horas cum discipulis versantur, nec quidquam, nisi id, quod prætermittere sine justa reprehensione non possunt, obeunt ac præstant: hæc, inquam, aliaque ejusdem generis discendi subsidia, certe multum discentibus profutura, sed non debita neque tamquam ex pacto atque convento postulanda, si negligunt: id non ulli ipsorum socordiæ ac voluntati, sed usitatæ quotidianæque discipulorum, in referenda, pro tantis beneficiis atque promeritis, gratia, negligentiæ dico esse tribuendum.

Quod cum vel in magistris mercede conductis fieri necesse sit, quid tandem in iis, qui gratis docent, futurum putatis? Etenim non omnino ingratis utuntur iis, quos docent, quicumque magisterii sui minerval aliquod atque stipendium percipiunt: nec, si non satis, mercede ulla, tantus eorum labor

atque

atque meritum exæquatur, idcirco non aliqua saltem ex parte pensatur. Contra, qui gratis docent, nisi discipulorum caritate, benevolentia, officiis remunerentur, quid esse reliquum arbitramini, quo eorum animi, in gravissimo molestissimoque munere, recreentur? Te ne ego, tanto cum labore meo, molestia, temporis jactura, valetudinis incommodo, erudiam? faciam: quoniam id meæ vitæ ratio institutumque postulat. tu vero mihi nihil contra rependes? Sed quid potissimum velle me putas? num pecuniam? contemsi meam: num censes, alienam me concupiscere? an munera? habeto tu tibi ista, quibus ego nec capior nec frui possem; quoniam me quidem alia delectant ac tenent. quin, si diligentem mihi operam docenti dederis, si institutioni laborique meo, in te erudiendo, responderis, si probus, si litteratus adolescens evaseris, munusculis ego te augebo atque ornabo meis. Quid ergo est? nihil ne retribui mihi abs te reddique volo? immo aliquid; verumtamen ejusmodi, ut, etiamsi ego non peterem, tu tamen tua sponte facere deberes, neque posses sine nefario scelere præterire. quid tandem? mihi ut, si te cum fide, si cum assiduitate, si cum diligentia, si nec æstivis maximis caloribus, nec hibernis immoderatis frigoribus retardatus, si studia mea atque oblectamenta dimittens, si nihil de me meisque commodis cogitans, deque uno te tuisque utilitatibus atque eruditione sollicitus, patienter aliquot annos amanterque instituero, mihi ut, inquam,

ne ſis ingratus aliquando futurus; ut, a me cum receſſeris, ne, quæ pro te fecerim quæque tulerim, ullo umquam tempore obliviſcaris; ne te operam apud me poſuiſſe pœniteat; ne inſtitutionem meam diligentem atque benevolam, gratuitam certe, reprehendas atque traducas; denique ne inimicitias mihi olim bellumque denuncies, neve armis tibi a me traditis contra me (me miſerum!) amantiſſimum tui præceptorem diſcipulus inhumanus atque crudelis utare. numquid a te aliud peto? nihil. num non juſta, num non debita, num non concedenda peto? poſſumne abs te hoc impetrare? Taces videlicet tu: nihil recipere ac polliceri de te vis. quod ſi jam pollicereris, non crederem, atque diffiderem. puer ſit atque etiam infans oportet, qui, quæ fides ſit habenda pueris, non intelligit. Nam ſæpe, experimento ipſi ſuo maloque, plurimi magiſtri publici didicerunt, eos, quos in gymnaſiis diligentius laborioſiuſque inſtituerint, quibus præcipuam curam culturamque adhibuerint, quorum denique cauſa invidiam aliquando atque ſermones reliqui diſcipulorum cœtus ſubierint, omnium deinde maxime ingratos atque infenſiſſimos exſtitiſſe. En cur ego docendo contendam, cur elaborem, cur vigilem, cur & ſudem & algeam, cur palleſcam, cur tabeſcam, cur in gymnaſiis ignotus atque obſcurus conſeneſcam: ut ingratiſſimos eos olim experiar, quorum cauſa tam multa incommoda ac tanta ſuſceperim!

Hæc,

Hæc, hæc inquam, Florentini, magistros publicos secum ipsos reputantes, eos præsertim, qui non mercede aut emolumentis adducti, sed hominum caritate, reique publicæ juvandæ studio excitati ad docendum accesserint, &, quam male plerisque, ac fortasse etiam sibi, docendi major atque impensior cura successerit, hominumque, non dicam in referenda, sed vel in habenda gratia, præposteram illam quidem, attamen frequentem, in maximis beneficiis atque promeritis, consuetudinem contemplantes: putatisne, si non omnes, at certe aliquos non vehementer commoveri, non magnopere deterreri, non plane animos despondere, non aliquid de industria in docendo atque alacritate remittere, non aliquando de magisterio deponendo cogitare, non negligentius agere atque languidius, non denique minus, quam possent, quamque adeo vellent, de maximo discipulorum profectu laborare? Quæ si discentibus esse incommoda, ut certe sunt, confitemur: videtis profecto, quæ sit incommodorum origo; ex quo fonte tanta labes emanet; qua sit ratione malo isti occurrendum. Si remissionem docentium quandam volumus atque languorem torporemque tollere, si alacres eos, si intentos, si sedulos atque industrios, totisque viribus ac contentione discipulorum studiis atque doctrinæ servientes efficere: discentium corrigenda consuetudo est atque emendanda: multum quidem ad studia litterarum cohortandi sunt adolescentes, verum ad officiorum humanitatisque non minus: curandum

est, ut doctorum suorum studiosi æque ac doctrinarum sint; nec, etiamsi doctrinas aliquando amare ac colere destiterint, a doctorum amore cultuque desistant; intelligantque, tum se in humanis litteris maxime profecisse, cum erga eos, per quos profecerint, humanissimi gratissimique reperientur. Hæc autem non voce modo illis, verum multo etiam magis exemplis factisque commendanda: ostendendumque, si referre parem non possumus, haberi certe a nobis, quantam maximam possumus, præceptoribus illis nostris, quorum e ludo prodierimus, gratiam.

Sed quid ego? qua in urbe? apud quos loquor? necessaria fortasse alibi, Florentiæ quidem supervacanea hujus erga magistros discipulorum officii admonitio censeri debet. vere enim hoc dicam. multa legens, nonnulla audiens, quædam etiam aliquot locis curiosius investigans atque perquirens nullos mihi videor præceptoribus suis gratiores, quam florentinos, discipulos repperisse. Date hanc mihi hoc loco veniam, Florentini, ut, omissis querelis illis, quibus fortasse sum usus pluribus, quam oportebat, ex severitate illa orationis atque tristitia reliquam dictionem meam ad hilaritatem jucunditatemque convertam, & in discipulorum ex vestra urbe gratissimorum commemoratione ac laude consumam. nolo enim cuipiam fortasse videri, discipulorum meorum animis, qui sunt mihi merito ipsorum carissimi, voluntatique diffidere; qui de ingratis discipulis generatim tam multa dixerim, nihil de gratis præcipue proprieque com-

commemorarim. Illud etiam ex hac oratione commodi, ut opinor, accedet, quod, proposito gratorum exemplo, eorumque egregia indole ex hoc loco publice collaudata, habebunt adolescentes optimi, quod etiam in hac parte imitentur. Quod si facere animum induxerint, removebitur tum nempe a scholis publicis illa, quam ego unam ex multis esse causam affirmavi, cur in iis aliquando discentes minus, quam oporteret vellemusque, proficiant. neque enim ego magis vitia, si qua sunt in re litteraria, demonstrare, quam emendare, nec magis vitiosos castigare, quam juvare percupio.

Jam illum, quem paullo ante de ingratis discipulis suis conquerentem audistis, Politianum, gratissimos expertum esse scitote, quos quidem ego sciam, tres florentinos nobilissimos atque doctissimos, Franciscum Puccium, Baccium Ugolinum, Petrum Delriccium, sive, ut ipse appellare se maluit, Crinitum. Puccii quidem illa sunt; quadam in epistola (a), nomine etiam Ugolini conscripta: *Habemus*, inquit, *in manibus quotidie ego & Ugolinus tuus hunc librum* (Miscellaneorum Centuriam primam, singulare Politiani opus, significat), *legimus, decantamus, ediscimus ... Ac cum illo recognoscere juvat, quæ pridem, cum istic eramus, te prælegente, didicimus: tum vero pleraque alia, de liberalitate tua addita, quasi auctarium quoddam, avida ac pendenti aure combibimus ... Quicquid ipsi sumus, si*

H 7 *quid*

(a) *Politiani epistolarum Lib. VI.*

quid sane sumus, id totum tuo beneficio sumus, & quæ sequuntur. Quæ quidem gratissimorum hominum ingenua ac liberalis testificatio quam jucunda optimo præceptori acciderit, declaravit is scilicet iis litteris, quibus epistolæ illi in hæc verba rescripsit. *Incredibili me voluptate tuæ litteræ affecerunt, non tam, crede, quod nostra Miscellanea laudant (quamquam id etiam) quam quod apud me, qui tibi olim præceptor obtigerim, singularem quandam vel eruditionem, vel eloquentiam tuam profitentur. Ut enim agricola vehementer exultat, ubi generosos fœtus ex arbore ipsa legit, quam suis quondam manibus conseverat ... ita nos magnopere delectatos illa epistola tua scias, quæ mirificos istius ingenii, nostra opera culti, nobis fructus exhibuerit ... Nec mihi certe quicquam gratius, quam discipulos emittere, me quoque ipso doctiores; præsertim si grati, si memores, si non in præceptorem quoque ipsum, sicut in parentem equulei, recalcitrent*. At certe non talis, tertius ille Politiani discipulus, Crinitus fuit: qui quidem, exstincto, acerbo sane fato, ætatis anno videlicet quadragesimoquarto, amantissimo præceptore, id maximis curis assiduisque vigiliis egit, ut, collectis tanti viri atque editis monumentis, vitam quodammodo defuncto atque immortalitatem donaret: cumque alteram Miscellaneorum centuriam paratam jam a magistro atque instructam sciret, eaque nusquam post ejus obitum compareret (videte, quæso, atque admiramini, sive potius cum animis vestris exosculamini aman-

amantissimi discipuli singulare erga praeceptorem suum studium atque pietatem) capita rerum, sibi non ignota, quorum nempe alia a vivente acceperat, alia in schedulis ab eodem notata repererat (quibus de rebus in centuria illa deperdita, sive, ut non temere suspicabatur, a plagiario aliquo sublecta atque occultata, Politianus egerat) typorum ope vulgavit: ut, si quando sub alieno nomine illa scripta prodissent, manifesti reus furti editor teneretur; suaque magistro laus, merita quippe ac debita, redderetur. (*a*)

Sed haec nimis antiqua: temporibus propiora videamus. media illa, ab aetate Politiani, quae possem de gratis florentinis discipulis commemorare, ad aetatem hanc nostram, omnia ex oratione mea circumcidam atque amputabo. non dicam, nisi de iis, quos, si non plerique vestrum, at certe aliqui novistis ac recordari potestis. nec vero, nisi viventes nullos nominare decressem, (*b*) quod ignorem, an ipsi nominari se velint,

 son-

(*a*) De hac tota re agit ipse Crinitus binis litteris ad Alexandrum Sartium, Epistolarum Politiani libro XII.

(*b*) Inter viventes florentinos gratos discipulos nominari in primis oportebat Alexandrum Politum, hominem vere doctum atque eruditum, Scholarum Piarum decus, in Pisano Lyceo humaniorum litterarum professorem, nobisque amicissimum. Is, in praefatione luculentae interpretationis suae Eustachii in

longinquos mihi appellare necesse esset. heic, heic inquam, in vestro numero, nonnullos præsentes intueor, qui, quantum in græcis

---

in Homeri Iliadem commentariorum tomo III. non tam oblata, quam, ut videtur, quæsita, studii sui gratissimique in præceptorem olim suum animi testificandi occasione, *schedas meas*, inquit, *perscrutanti incidit mihi nuper in manus epistola multis ab hinc annis græce ad me adhuc puerum scripta ab Jacobo Maria Ayrolo, viro doctissimo, & latine & græce atque hebraice eruditissimo Societatis Jesu: sub cujus ego præceptis græcæ linguæ rudimentum puer posueram. Quæ quidem epistola est hujusmodi ... Hæc ad me, cum in pueris adhuc agerem, Ayrolus: cujus ego epistolam referendam huc censui, non tam memoriæ gratique animi caussa, quod, Ayrolo duce atque præceptore studiorum illorum meorum, multum pro illa ætate in græcis latinisque litteris profecerim, quam quod, quæ ille me puerum diligentissime monuit, eadem monenda esse judicem adolescentes hos nostros, qui græcarum studio litterarum ducuntur: multa iis nimirum græce esse scribenda, multumque Græcorum scripta dies noctesque esse pervolutanda*. Nec minor tribuenda laus esset piissimæ memoriæ eximiæque gratiæ, quam magistris suis non magis habet, quam plane refert Joannes Baptista Fagiuolius, Charitum etruscarum omnisque liberalis festivitatis atque ingenui joci parens, scriptorumque multitudine atque elegantia tota

cis litteris profecerunt, tantundem ſummo illi græcæ linguæ doctori, Antonio Mariæ Salvinio, ſe debere, libera voce ſcriptiſque, profitentur. eorum ſunt illa nempe, quæ in ore

---

tota Italia notiſſimus, in quodam etruſco carmine, quod haud ita, pridem ingenioſiſſime ſuaviſſimeque ſcriptum *de vitæ diuturnitate non negligenda*, ad clariſſimum doctiſſimumque virum Benedictum Breſcianum, condiſcipulum olim ſuum, æque præceptoribus ſuis gratum, miſit: cujus eſt hoc initium:

Caro Breſciani mio, la non è baja:
Noi ſiam, ſenz'avvedercene, in un volo
Giunti alla triſta età della vecchiaja.
E a queſt'età ci ſiamo noi non ſolo
In tempo velociſſimo arrivati,
Ma quel, che reſta, è ſol fatica e duolo.
Come ſon preſto gli anni miei paſſati!
E, ch' i' dica anche i voſtri, contentatevi,
Perch' i' non credo ſian privilegiati.
Di quand' eram' ſcolari ricordatevi,
Che ſaran ſeſſant'anni, e più, finiti:
S' e' non vi pare, a riſcontrargli fatevi:
Che n'andavam' a ſquola a' Geſuiti,
A quei Maeſtri di color, che ſanno,
E di dottrina e di bontà forniti:
A quei vò dir, che tanto utile danno,
Lor' eſſendo iſtituto principale
Giovare a tutti in ogni dì dell'anno:
Non vi ſon ferie nel lor annuale:
Sempre in fazione, or fuori, or in Città,
In chieſa, in pulpito, e al confeſſionale.
Alle

ore habent assidue, quæque publicis litterarum monumentis consignata passim videmus: *Salvinius, magister meus, hoc aut illud sentiebat: sic dicere solebat: ita me docuit*. Quam quidem ego gratiam, doctissimo sanctissimoque viro ab amantissimis discipulis habitam ac relatam, eo esse illi justius debitam existimo, quod nemo Salvinio gratior in suos præceptores exstiterit. quantum enim lau-

---

Alle lor squole adunque in quell' età
Andavam' egualmente: ond' è, che noi
Ci conoschiamo da quel tempo in quà.
Io di più bene mi ricordo poi,
Che fin d' allora dimostraste ingegno,
E i' era nel gran numero de' buoi.
S'io mi sia mantenuto, io non m'impegno.
Ma voi sapeste innanzi dì imparare,
E più d' ogn' altro trapassaste il segno.
Dalla Prima sapeste voi volare
A un tratto alla Rettorica: ed io forte
Non mi muoveva, e stavavi a guardare.
Il Padre Glaria, ch'ebbe allora in sorte
D'avervi alla sua squola, vi faceva
A tutt' i suoi discepoli far corte.
Ma il buon Padre Naselli, che me aveva
Per suo scolar, di me si vergognò,
Quanto il vostro di voi se ne teneva.
Solo in questo ciascun si somigliò:
Voi finito lo studio, e io abbozzato,
A varj impieghi ognuno s' addattò. &c.

In mortem vero Vincentii Glariæ, quem habuit etiam ipse in rhetoricis magistrum, hoc scripsit idem ingeniosissimus gratissimusque

laudum maximarum præconium, quantaque cum voluntate atque studio, Vincentio illi Glariæ, gymnasii hujus ipsius, cui ego nunc præsum, moderatori, tribuit, posteritatisque memoriæ sempiternæ commendavit? quem quidem in Benedicti Averanii, condiscipuli olim sui, sibique & ætate & studiorum similitudine conjunctissimi, Vita (a) & *amantissi-*

que poeta hendecasyllabum carmen, admodum ipse adolescens:

Deplorate, Licei, Squole piangete.
Il Glaria, vostra gloria, or giace estinto;
Se popolato aveste ogni recinto,
Adesso solitudini sarete.
L'acquistato splendor voi perderete,
Resteravvi di squole un nome finto,
Nè il vostro pregio sarà più distinto:
Tutto l'assorbirà l'onda di Lete.
Più non sarà chi senza alcun ritegno
Si faccia eterno dall'Occaso all'Orto;
Se manca di virtù chi fu il sostegno.
Nè maraviglia sia, se resta assorto
Nell'ignoranza ogni elevato ingegno.
Già con Vincenzio anche il sapere è morto:

(a) Prodiit hæc Vita inter Arcadum illustrium Vitas Romæ MDCCX. a Salvinio scripta, cujus hæc sunt verba: *Questo Padre* (Vincenzio Glaria), *che insegnò per lo spazio di molti anni l'arte del dire a tutta la Nobiltà e Cittadinanza Fiorentina, e a molti nobili forestieri, e per la sua singolare vivacità di spirito e fecondità d'ingegno bizzarro e poetico fece allievi di considerazio-ne,*

tissimum sui praeceptorem, & *sibi carissimum*, & *insignem rhetorem* appellat: *cujus e ludo*, inquit, *quem florentini patricii omnes ac cives, plurimique praeterea externi nobiles homi-*

---

ne, e che si può dire, che dalla sua scuola, come dal cavallo trojano, usciti sieno molti e molti ingegni, che hanno fatto onore a Firenze, stimava tanto il nostro Corileo (id enim fortitus erat nominis inter Arcades Averanius), *che non emendava niente delle sue composizioni, anzi solea dire talora ingenuamente, comporre egli da maestro*. Rursus in funebri Averanii laudatione, Florentiae cum aliis etruscis sermonibus anno 1715. edita, idem Salvinius: *Andato*, inquit, *alle scuole di quella illustre Compagnia, che sotto il nome di Gesù, al servigio del Pubblico milita, tosto alle prime scuole passò; mostrando una finezza di giudizio sua propria e singolare, non se ne stando al comune scolastico compito, nè deferendo a' maestri, se non in quanto in grandissima venerazione gli ebbe, e come padri suoi gli riverì, e con ogni maniera d'ossequio gli osservò ... ma suoi maestri riputava molto più essere que' buoni e quei gloriosi, dalla venerabile antichità rispettati: ne' libri de' quali continuamente leggendo, e con riflessione leggendo (lo che a' giovani non è così agevole) da loro la via e maniera del bene e dirittamente studiare apparava ... e l'amantissimo mio maestro nella rettorica, uomo insigne, per tanti soggetti di primo grido allievi suoi, non emendava nien-*

mines, *multorum annorum spatio*, *celebrarunt*, *tamquam ex equo trojano*, *quamplures praestantissimis ingeniis exierunt*, *quibus florentinum nomen est illustratum*. Ego vero sic

---

niente nelle composizioni di lui. Hoc loco, ne quis forte Vincentii Glariæ facultati detractum quidquam ab amantissimo discipulo Salvinio arbitretur, quod Averanium affirmarit omnia in discendi ratione solis veteribus magistris tribuisse, illud animadvertendum est; magistros publicos non modo ægre non ferre, sibi in eo genere nihil a discipulis tribui, sed id unum auditores suos monere numquam desistere, ut sibi non nisi unos veteres magistros ad imitandum proponant. nos quidem, ex quo docere instituimus, nihil umquam gravius discentibus præcepisse, quam ut id plane in rhetoricis studiis facerent, quod Salvinius Averanium fecisse discentem memorat, testis est vel ille locus orationis nostræ *pro publicis Scholis* primæ, cujus loci initium est: *Cum ante annos ferme septemdecim &c.* In eadem sententia fuisse Glariam, nec alia, quam quæ nos nostros monuimus, monuisse discipulos eum suos crediderim; siquidem erat illorum utilitatum progressusque studiosus. De eo certe Josephus Averanius in Benedicti fratris vita, quæ Florentiæ anno 1717. prodiit, ita testatur: *Erat in eo* (Vincentio Glaria) *singularis comitas*, *facilitas*, *humanitas*; *quibus devinctos auditorum animos incendebat amore literarum*. Itaque Benedictus, qui nihil ma-

sic sentio : si ex Vincentii Glariæ ludo non nisi unus Salvinius existet, non propterea ullum Italiæ gymnasium Vincentii Glariæ ludo esset illustrius. tantum Salvinii ingenio, doctrinæ, probitati tribuo.

Agite vero, reliquos videamus : sed nondum pedem e gymnasio hoc nostro efferamus. Magnum est Laurentii Bellinii inter doctos nomen, magna inter Medicos auctoritas. Vidi ego tanti viri operum volumen (*a*) cum hac in fronte, suo ipsius chirographo, inscriptione: *Spectatissimo Magistro suo Patri Vincentio Glariæ Auctor plurimis nominibus obstrictus*.

Qualem autem & quantum virum fuisse Petrum Andream Forzonium Accoltum putatis? quanto ingenio? quam latinis græcisque litteris eruditum? quam summis principibus, quam denique Salvinio ipsi carum? Declarat laudatio Forzonii funebris ab Salvinio apud inclytum Apathistarum cœtum ante.

---

magistro in imitando tribuebat, plurimum in eo ipso tribuisse homini est existimandus: qui quidem, auctore magistro, solos veteres in scribendo auctores sequutus sit.. Utinam auditores nostri omnes, similiter ut Averanius, a nobis nostra cohortatione descifcant, & ad unos veteres illos magistros, Ciceronem præsertim, se conferant.

(*a*) Extat in Bibliotheca Collegii Florentini Soc. Jesu editum Bononiæ 1683. continetque tractatus de Urinis & Pulsibus, de Missione sanguinis, de Febribus, de Morbis capitis & pectoris.

ante annos fere viginti habita, florentinisque typis millesimo septingentesimo tricesimo tertio vulgata. ex qua antequam, quæ ad declarandum Florentinorum erga magistros suos liberalem gratumque animum pertinent, recito, finite me, deprecandæ nescio cujus invidiæ causa, pauca præfari. Non is ego sum, Florentini, qui non intelligam, laudes, tantas præsertim, quantas nostri ordinis hominibus tributas aut a Salvinio, aut ab aliis gymnasii hujus celeberrimis gratissimisque alumnis, jam ex me audietis, ab alio potius, quam a me, prodi ac prædicari convenire. ego vero, si talia summorum hominum testimonia nota esse omnibus arbitrarer, aut possent iis, quibus ignota sunt, alia ratione innotescere, revocarem profecto ipse me, orationemque meam alio, maxime libenti animo ac voluntate, transferrem. nunc, nisi dixero, quæ causa dici ac commemorari postulat atque adeo flagitat, prævaricari quodammodo, quod est oratori turpissimum, & prodere eos ipsos homines viderer, quorum laus est illa maxima, quod tam large, tam liberaliter, tam propemodum sine more aut modo, magistros suos gratissima cum testificatione laudarint. Quod si tam sæpe iniquorum conviciis ac maledictis, quod non ignorare vos arbitror, in hoc ipso docendi genere appetimur; cur non in eodem liceat aliquando, æquorum commendatione ac laudibus, vestras nostrasque aures personare? Denique, harum ipsarum laudum nullam ad me partem arbitror pertinere; cujus si similes essent

sent ii, qui laudantur, immerito atque adeo injuria laudarentur. Jam ad propositum institutumque revertamur.

In ea igitur, quam de Forzonii laudibus habuit, oratione Salvinius, non minus suum laudantis (*a*), quam illius ipsius, quem laudat, animum erga institutores suos gratum atque benevolum ostendens, *Inter omnes*, inquit, *Religiosorum hominum cœtus, præcipuo quodam amore ac singulari, illius toto orbe celebratæ Societatis Jesu patres prosequebatur; a quibus ipse sapientiæ, pietatis, atque eloquentiæ lac suxerat: qui quidem, totius anni curriculo, habendis sacris concio-*

(*a*) Habuit hoc omnino Salvinius, ut occasionem quodammodo captaret, omnesque laudandi eos, quos magistros habuerat, tamquam ansas gratissimus discipulus arriperet. id cum ex hoc Forzonianæ laudationis loco, tum ex aliis intelligitur: ut illud est, ne singula persequamur, sermone inter *Academicos* septuagesimo octavo, qui Florentiæ anno 1712. prodierunt: *La quale* (Fiorenza) *il fior della gioventù e della nobiltà di tutta Italia, che quivi* (in Siena) *in un seminario, da un nobilissimo cittadino, e della sua patria, come si dee, amantissimo, nobilissimamente fondato, ad arti nobilissime sotto la disciplina ed auspicj de' Padri della gloriosa ed immortal Compagnia di Gesù attendevano, a noi per alcun tempo rifugiato, nel suo seno ha raccolto.*

cionibus, *summa cum laude exercent sese atque inalarescunt*. *His*, *quemadmodum testabatur ipse*, *in quamcumque urbem peregre iter faciens accesserat*, *invisere primos solebat*. Atque hæc quidem de Forzonio Salvinius.

Locus autem ipse, in quo esse habitam hanc orationem supra commemoravi, admonet me, ut de præstantissimo illo viro, cui tantum Florentinæ litteræ debent atque debebunt, quoad præclara hominis instituta viguerint; quem Salvinius ipse viventem dilexit ex omnibus plurimum, mortuum diu luxit, perpetuoque voce scriptisque laudavit; qui doctrinane magis an sanctitate claruerit, nescias, nisi quod summum in utraque re fuisse eum ac singularem confitendum est; quo gymnasium hoc idem nostrum alumno mirifice gloriatur ac propemodum superbit: de Augustino Coltelinio, clarissimi Apatnistarum cœtus institutore, admonet me, inquam, locus, ut aliquid dicam. sic enim se vir gratissimus adversus eos, a quibus fuerat a puero eruditus, in omni vita gessit, ut merito, inter gratos florentinos discipulos, principem locum habere posse, vel concedente Salvinio suo, videatur. Italicam *Mercurii bilinguis* interpretationem suam (*a*) Coltelinius editurus (quod egregium

(*a*) Præmisit interpretationi suæ Coltelinius quoddam hac inscriptione opusculum: *Discorso dell'origine*, *uso*, *progressi e utilità del'*

gium Guillelmi Batei, e noſtra Societate hominis, opus, recens in Italiam ex Hiſpania Gaſpar Scioppius attulerat) ſtatuit, non niſi Joanni Paullo Olivæ, ſummo tum ordinis noſtri moderatori, laborem illum ſuum eſſe in-

---

del Mercurio Bilingue del Sig. Oſtilio Contalgeni (h. e. Agoſtino Coltelini) *Accademico Apatiſta, all'Illuſtriſſimo e Reverendiſſimo Padre il P. Gio: Paolo Oliva Generale della Compagnia di Gesù. In Firenze. Per Franceſco Onofri Stampatore Archiepiſcopale* 1672. Nec modo in nuncupatoria epiſtola, verum etiam aliquot opuſculi hujus locis amantiſſime honorificentiſſimeque de ſuis inſtitutoribus loquitur. cujuſmodi ſunt illa pag. 5. *La qual' opera* (Mercurii Bilinguis) *per relazione dello ſteſſo Comenio e del Carpani, fu attribuita a' Padri della Compagnia di Gesù, e a molta equità: perchè queſta inſigne Religione, e nello ſpirito e nelle lettere, ſi ſtudia ſempre, a maggior gloria di Dio, di trovar nuovi mezzi, per beneficare i Proſſimi.* & pag. 26. *Nel medeſimo tempo* (anno nimirum ab ortu Chriſti circiter 1626.) *i Padri Geſuiti, i quali riguardano ſempre la gloria di Dio e il ſervigio pubblico, aveano anch' eſſi in Pinti un'altro nobile e diſtinto Seminario, retto con quella pietà e prudenza, ch' è propria di sì gran Compagnia: i cui Seminariſti ſe n'andavano a coppie, in forma di proceſſione, con mol-

inscribendum. Jam nuncupatoriæ epistolæ, qua Olivam Coltelinius affatur, illa sunt fere extrema: *Quod si mea hæc interpretatio hominibus eruditis minus forte arriserit, quemadmodum ne mihi quidem ipsi satis arridet, non deerunt profecto tibi, quos ad mendas meas emendandas adhibeas: id quod mihi ego perhonorificum ducerem. Profiteor enim, velle me ad extremum usque spiritum ab iis doctis, omnique observantia dignissimis, collegis tuis, discere, quibus tam multa ab ipsa pueritia mea debeo; in eo præsertim, quod ad christianam vitæ institutionem, qua virtus omnis continetur, rationemque pertinet. Utinam egregiis ego documentis proficere didicissem: profecto sperarem nunc ego magis, minus timerem. Confido tamen fore, bonus ut Jesus servorum suorum precibus, eorum præsertim, qui sunt ex ejus dilecta Societate, commotus, animadversionem atque supplicium remittat peccanti mihi omne atque condonet.* Hactenus doctissimus, sanctissimus, gratissimus Coltelinius.

Suntne reliqui ulli gymnasii hujus alumni, quos inter gratos florentinos discipulos

---

molto decoro e profitto, alle Scuole del Collegio di S. Giovannino: e ancora ce ne sono de' viventi, sì nostrali come forestieri. Ma l'uno e l'altro, per la sopravegnente pestilenza, si chiuse; e dopo di essa, non sò per qual se ne fusse la cagione, per nostra disavventura, non si riaperse, con iscapito non ordinario della Città.

los possim commemorare? Sunt profecto, iique non pauci. Verum de his, hoc quidem tempore, dicere supersedeo, ne recentissimo ac nobilissimo amoris erga magistrum, non ex nostro quidem ordine, sed tamen gymnasii hujus nostri olim alumnum, clarissimi viri, & ejusdem gymnasii item olim alumni, exemplo prædicando ac celebrando non ullus locus relinquatur. nolite enim existimare, Florentini, mihi quidquam jampridem aut jucundius accidisse, aut vehementius esse probatum, aut ad imitandum esse visum accomodatius, quam quod nuperrime, præter opinionem quidem, sed valde ex voluntate cognovi. cum enim, haud ita ante multos hos dies, insignem, quæ ad Sancti Marci est, bibliothecam longo intervallo reviserem (in qua me non tam veterum librorum copia atque præstantia, quam clarissimorum patrum, & in omne officii erga me genus paratissimorum, doctrina ac comitas sæpe ac diu libentissime detinet), mihi vix primum illud amplum magnificumque peristylum ingresso recens ab læva parte, parieti inclusum, obtulit sese ae pernobile monumentum. summa conspiciebatur, opere anaglyptico sculpta, hominis mihi non ignoti facies, altero tantum latere, dextero nempe, conspicua: cui marmorea subjecta erat tabula, litteris prægrandibus perscripta. accessi propius, videndi cognoscendique percupidus. agnosco Josephi Averanii notissimos mihi, meoque animo, ex quo ille a nobis recessit, nullo non tempore infixos, vultus. egregiam, & Au-

Augusti ævo dignissimam, inscriptionem (a) lego. reperio, a nobilissimo discipulo, cum mærore ac lacrymis, illud præceptori clarissimo cenotaphium esse excitatum. Heic ego, ut Alexander olim ad Achillis tumulum in Sigæo cum constitisset, non potui quin intimis verissimisque sensibus exclamarem: *O fortunate senex, qui tuæ disciplinæ tam memorem gratumque alumnum, virtutis atque doctrinæ adeo spectatum doctumque præconem habueris!*

Hæc

(a) Subjicimus heic eam ipsam inscriptionem.

JOSEPHO AVERANIO
CIVI FLORENTINO BENEDICTI ET NICOLAI FRATRI
IN PISANA ACADEMIA LIII. ANNOS LEGVM INTERPRETI
JVRISCONSVLTORVM SVI TEMPORIS MAXIMO
PHILOSOPHIA GEOMETRIA ASTRONOMIA
GRÆCIS LATINIS LITTERIS POESI ELOQVENTIA
ROMANÆ HISTORIÆ COGNITIONE CLARISSIMO
RELIGIONE MORIBUS SPECTATISSIMO
PRÆCEPTORI OPTIMO
QVI VIXIT ANN. LXXV. MENS. V. D. IV.
OBIIT IX. KAL. SEPT. ANNO A CHRISTO NATO
MDCCXXXVIII.
ANTONIVS NICOLINIVS
EX MARCHIONIBVS PONTIS SACCI
ET CASTRI CAMILIANI
H. M. D. S. P. F. C.

Hæc præclara exempla, domeſtica præſertim atque præſentia, velim florentina juventus proponat ſibi, atque imitari, condiſcat. retineat acriter atque conſtanter eam laudem, quæ præcipua hujus gentis ac nominis cenſeri debet. faveat, ſtudeat, habeat, quam debet, reddatque, quam poteſt, præceptoribus ſuis gratiam: nec tam humanas a ſcholis publicis litteras, quam humanitatem referat. id ſi nos vulgo fieri magiſtri publici ſervarique animadverterimus, minime eſt dubitandum, quin multo promtiores alacrioreſque ad ſedulo ac diligenter docendum futuri ſimus; ut, quæ nobis habebitur aut referetur gratia, ea jure ac merito habita aut relata fuiſſe videatur. Dixi.



HIE-

HIERONYMI
LAGOMARSINII
E Soc. Jesu

AD VIRUM CLARISSIMUM

JACOBUM FACCIOLATUM
EPISTOLA

Qua, quid in M. Tullii Ciceronis contra L. Pisonem oratione interciderit, demonstratur.

HIERONYMI
LAGOMARSINII
E Soc. Jesu
Ad Virum Clarissimum
JACOBUM FACCIOLATUM
EPISTOLA

Qua M. Tullii Ciceronis in L. Pisonem orationis principium, quo caremus, non minus ducentis & sedecim versibus constitisse demonstratur: tum ex media circiter eadem oratione non multo minorem versuum factam esse jacturam ostenditur.

Hieronymus Lagomarsinius e Soc. J.
Jacobo Facciolato suo S. D.



Ἕὕρηκα εὕρηκα, mi Facciolate. Scripseram ad te quibusdam litteris, sperare me, fore, ut, quantum ex initio orationis M. Tullii Ciceronis in L. Pisonem periisset, possem plane demonstrare. illud etiam addideram, videri mihi, multum præterea ex media circiter oratione deesse; quam tamen nemo eruditorum (nisi quod omnes ἀκέφαλον norant) non reliquis partibus integram ad nos pervenisse ad eam diem existimarat. Tu quid de illa spe mea, quid de hac nova opinione tecum ipse senseris, nescio. hoc scio, cum eadem

 hæc

hæc apud doctos quosdam viros, familiares meos, commemorassem, fuisse mihi omnium prope convicio acclamatum. nisi enim integer orationis illius codex aliquis reperiretur, fieri posse uno omnes negabant ore, ut, quantum ex ea, quibusve ex locis intercidisset, certa ratione ulla cognosceremus. abesse quidem ab initio nonnulla, ex iis fragmentis, quæ Asconius Pædianus servavit, intelligi concedebant; quin, ex unius fragmenti inscriptione, versibus octoginta, & quod excurrit, auctiorem eam olim fuisse deprehendi: verum neque reliquorum versuum supra octoginta summam, neque versuum ipsorum genus atque mensuram sciri: eas ob res vereri se, ne, quemadmodum ante aliquot annos ex rotundis quadrata geometrarum legibus atque momentis facere frustra tentassem (id enim a me olim tentatum sciebant), sic inanis meus omnis esset in re, fortasse abditiore, pervestiganda labor futurus. Verum ego, qui regiam quamdam viam, quæ certo me eo, quo contendebam, duceret, nescio quo casu fuisse mihi ingressus videbar, de re tota, hominum tanta auctoritate posthabita, cogitare non destiti. sed, cum haud ita multum in itinere progressus in quædam monstra incidissem, cum iis congredi ac decertare tum nolui. videbam enim, mihi non cum illis modo, sed cum aliis etiam hostibus deinceps esse pugnandum; nec paucarum horarum pugnam illam, sed diuturnum quoddam bellum futurum; meque propterea institutum commentariorum opus, quod nosti, quodque jam-

jamdiu a me, tantoque opere flagitas, diutius, quam oportuisset, intermissurum. itaque loco tum quidem cessi, sed ita, ut receptus honestus quidam ille, non turpis fuga videretur, prælium deinde magis opportuna tempestate initurus. retuli me, tamquam in hiberna, ad commentarios illos meos; multumque & sudans & algens, tandem, quæ in Pisonianam inchoaveram, Deo favente, perfeci. quo eodem auspice, nihil cunctandum ratus, castra movi, in hostium conspectum veni, signa contuli, victoriam reportavi. Tibi jam miranda illa reperta, ἀδύνατα doctis illis amicis meis visa, & totius indagandæ rei rationem exponam. quæ si tibi, homini acutissimo, probabuntur, non dubito, quin & illis & reliquis doctis viris omnibus probanda sint.

Ajo igitur primo, deesse ex initio orationis in L. Pisonem tantum versuum, quantum ferme est ab illis verbis: *Quid centuriatus palam venditas? &c.* quibus verbis caput 88. inchoatur (sequor autem ea capita, sive eas particulas ac sectiones, quas Alexander Scotus in Ciceronis opera primus induxit) ad extremam usque orationem: hoc est, versus Patavinæ editionis anni 1730. sedecim supra ducentos.

Ajo secundo, deesse præterea aliquid ex media circiter oratione; idque tantum ferme esse, quantum est ex illis verbis capitis 89. *Quod populari illi sacerdoti &c.* ad eamdem extremam orationem; hoc est, versus Patavinæ ejusdem editionis centum nonaginta novem. Cum *ferme* autem semel &

iterum dixi, id intelligi volui, vel plane tantum deesse utroque ex loco, quantum deesse affirmavi, vel, si quid discrepat, id esse ejusmodi, ut cum extrema universæ orationis periodo, ut multum dicam, comparetur.

Q. Asconii Pædiani, scriptoris sane vetusti (ut hinc potissimum exordiar) eruditissimos in aliquot Ciceronis orationes commentarios, quod omnes sciunt, habemus (a). is, qui ab oratoris illius ætate propius aberat, integris & emendatioribus certe, quam nos, Ciceronis codicibus usus est. Hanc autem commentariorum digerendorum rationem consuetudinemque servavit, ut orationum illarum locos, enarrationis alicujus sua opinione indigentes, ex ipsis deinceps orationibus excerptos describeret; quos continuo subjecta enarratione illustraret. atque hinc factum est, ut, cum orationes Ciceronis quædam perierint, ut *pro C. Cornelio*, *contra competitores*, *pro M. Scauro*, earum tamen frag-

---

(a) Quos hodie Asconii eruditissimos commentarios habemus, Poggio Florentino debentur. Is eos in S. Galli monasterio, quod abest ab urbe Constantia passuum viginti millia, Concilii Constantiensis tempore, una cum plurimis aliis antiquis codicibus reperit, *non*, inquit in epistola quadam sua, anno 1417. ad Guarinum Veronensem data, *in bibliotheca, ut eorum dignitas postulabat, sed in taeterrimo quodam & obscuro carcere, fundo scilicet unius turris, quo ne capitales quidem rei damnarentur.*

fragmenta cum illis Asconii commentariis manserint. Ut autem facile is posset ad ipsos locos, perpetuis Tullii orationibus insertos, si quando ita vellet, recurrere, versuum numerum in Tulliani codicis margine deinceps notavit; &, ad quam eorum summam ea Ciceronis verba, quæ ipse in suum codicem explicanda transferebat, pertinerent, excerptis illis suis inscribere consuevit, ita exempli gratia: *Versu* 100, vel *versu circiter* 100, vel *circa versum* 100. *&c.* Atque in Pisoniana quidem illam consuetudinem tenuit, ut versus sic deinceps numeraret, ut, usque ad octingentesimum, referret ad primum sic: *Circa versum a primo* ex. gr. 100. 200. 300. 800.: tum, mediis interjectis, ubi ad octingentesimum vicesimum a novissimo ventum esset, referret ad ultimum sic: *Circa versum a novissimo* 820. 700. 600. *&c.* Hæc tibi, homini peritissimo, jamdiu nota, mihi tamen præmittenda esse duxi, ut, si forte hujus epistolæ aliis, non æque peritis, copiam feceris (quod cur nolim, causa nulla est: aliorum enim judicia etiam exquiri est utile) paratiores ad reliqua accedant.

Principio, quales Tulliani codicis, quo usus est Asconius (quem posthac *Asconianum codicem* appellabo) versus fuerint, hoc est, intra quem vocabulorum, atque etiam syllabarum litterarumque modum ferme constiterint, statuendum est. Hoc statuere, quo reliqua omnia nituntur ac demonstrantur, quodque propterea omnium difficillimum fore videbatur, casus quidam fecit, ut non ita

difficili negotio possem. etenim, cum casu in Pisonianæ exemplar, istic apud vos ab Joanne Manfrè ante tres annos editum, incidissem, cumque in ea forte cogitatione tum essem, ut, quales Asconiani codicis versus fuissent, arithmeticorum adhibitis rationibus invenirem, institui Asconianos cum Patavinis comparare. cumque illis verbis (quæ capite 95. leguntur) *L. Opimius ejectus est e patria &c.* inscripsisse sic Asconium viderem, *Circa versum a novissimo LXXXX.* cœpi ex iisdemmet exorsus, quæ versuum summa in Patavino codice ad extremam usque orationem conficeretur, numerando percensere. Quid quæris? reperi, sic utramque inter se summam congruere, ut vix unius versiculi, quo auctior erat Patavinus codex, discrimen interesset. Hæsi primo prope attonitus; tum gaudio plane exsilivi: continuoque, spe quadam mirifica, cætera quoque paria futura, incensus, ad superiora verba properavi; quibus Asconius inscripsit, *Circa versum a novissimo CXX.* Ea sunt, *Ecquid vides? ecquid sentis? &c.* quæ cum in codice Patavino non amplius tredecim & centum versibus ab extrema oratione abesse deprehendissem, vehementer conturbatus sum, atque animum prope despondi. cum enim tantulo intervallo discrepantiam tantam factam viderem, quo magis ab extremo recederetur, eo minus reliqua conventura arbitrabar. Quod non ita tamen fuit. nam rursus ad superiora progressus, pleraque concordare reperiebam: donec discordiam in quibusdam tantam offendi, ut pæne, quod volebam asse-

quen-

quendi spem omnem ac cogitationem abjecerim. Hæc illa nempe monstra fuere, quibuscum neque tum, neque deinde, cum eamdem rem tentassem, voluisse me decertare paullo ante dixi. At superiore mense diu multumque universa ac singula meditatus, statui, vitium Asconianis quibusdam numeris omnino inesse; non Asconii ipsius, sed vel librariorum, vel typographorum culpa. Quod minime mirum cuiquam debet videri, qui modo considerarit, nulla in re sæpius ab iis hominibus, quam in describendis numeris, fuisse peccatum: quæ res fecit, ut infinita propemodum lectionum varietas occurrat, quoties in Antiquorum libris vel anni vel pecuniæ computantur. Corrigemus igitur Asconianos illos mendosos numeros, sed ita, si necessarium esse intellexerimus: necessitatem post ostendam: nunc omnium, qui sunt in Asconio, eorum etiam, qui ad Pisonianæ deperditam partem pertinent, numerorum paradigmata proponam: quibus alia e regione respondebunt, Patavinorum versuum summas exhibentia. Sed illud mihi ante monendus es: cum Joannes iste Manfrè primæ totius orationis litteræ duorum versuum spatium attribuerit, & paginæ 370. duos item versus detraxerit, quos tamen in probatissimis codicibus Gruterus & Pithœus repererunt; me utriusque rei rationem, ut par erat, habentem, in prima pagina non sedecim, sed quatuordecim versus tantummodo numerasse; contraque paginæ 370. duos reliquis quadraginta duobus addidisse.

Orationis in L. Pisonem, qualis in Asconiano codice olim fuit, versuum series ac summae.

PARADIGMA I.

1. Circa vers. a primo * *Quod minimum &c.*
2. A primo LXXX. *Hoc non ad contemnendam &c.*
3. Paullo post. *Hic cum ad Padum &c.*
4. A primo * *Lautiorem pater tuus &c.*

5. A primo CCLXX. *Ego in C. Rabirio &c.*

6. A primo CCC. *Ego cum in concione &c.* A quo versu CCC. ad superiorem CCLXX. fuere versus 30.
7. A primo CCCXX. *Cujus fuit initium &c.* A quo ad superiorem fuere 20.
8. A primo DCXX. (corrigo DCX.) *Seplasia mehercule &c.* A quo correcto ad superiorem fuere 290.
9. A primo DCCC. *De me cum omnes &c.* A quo ad superiorem correctum fuere 190.
Circa medium. *Appellatus est hic vulturius &c.* Omnium summa 538.

PARADIGMA II.

1. A novissimo DCCC. (corrigo DCCCXX.) *Me consequentibus diebus &c.*
2. A noviss. DCCCXX. (corrigo DCCXX.) *O stultos Camillos &c.* A quo corr. ad super. corr. fuere 100.
3. A noviss. DCLX. (corrigo DCL.) *Eadem cupiditate &c.* A quo corr. ad super. corr. fuere 70.
4. A noviss. DLX. *Est quidam Graecus &c.* A quo ad super. corr. fuere 90.
5. A noviss. CCCXX. *Quamquam quod ad me &c.* A quo ad super. fuere 240.
6. A noviss. CC. *Quod populari &c.* A quo ad super. fuere 120.
7. A noviss. CXX. (corrigo CX.) *Ecquid vides &c:* A quo corr. ad super. fuere 90.
8. A noviss. LXXXX. *L. Opimius ejectus &c.* A quo ad super. corr. fuere 20.

Omnium summa 730.

Ejus-

Ejusdem orationis, qualis nunc est in Patavina editione anni 1730. versuum series ac summa.

PARADIGMA III.

1. Hæc desiderantur. 4.
2. Desiderantur. 4
3. Desiderantur.
4. Desiderantur. Nobis quidem primus orationis versus est in illis verbis, *Jamne vides, bellua &c.*
5. *Ego in C. Rabirio &c.* Hic versus a primo illo *Jamne &c.* est LIIII. a primo autem Asconiani cod. CCLXX.
6. *Ego cum in concione &c.* A PRIMO LXXXV. A quo ad superr. sunt versus 31.
7. *Cujus fuit initium &c.* A PRIMO CV. A quo ad super. sunt 20.
8. *Seplasia mehercule &c.* A PRIMO CCCXCVII. A quo ad super. sunt 292.
9. *De me cum omnes &c.* A PRIMO DLXXXIIII. A quo ad super. sunt 187.

Omnium summa 530.

PARADIGMA IIII.

1. *Me consequentibus diebus &c.* A NOVISSIMO DCCCXXIII.
2. *O stultos Camillos &c.* A NOVISS. DCCXVII. A quo ad super. sunt 106.
3. *Eadem cupiditate &c.* A NOVISS. DCXLVIII. A quo ad super. sunt 69.
4. *Est quidam Græcus &c.* A NOVISS. DLVI. A quo ad super. sunt 91.
5. *Quamquam quod ad me &c.* A NOVISS. CCCXXII. A quo ad super. sunt 234.
6. *Quod populari &c.* A NOVISS. CCII. A quo ad super. sunt 120.
7. *Ecquid vides &c.* A NOVISS. CXIII. A quo ad super. sunt 89.
8. *L. Opimius ejectus &c.* A NOVISS. LXXXXI. A quo ad super. sunt 22.

Omnium summa 731.

In primo paradigmate correxi numerum illum 620. ex eoque detracta decade, reposui 610. Cum enim Asconianus codex cum Patavino sic belle cohæreat, ut ab illis verbis *Ego in C. Rabirio &c.* (quæ in Asconiano ad versum 270. a primo integræ orationis versu pertinebant; in Patavino ad 54. a primo deficientis pertinent) ad illa *De me cum omnes &c.* versuum summa plane consentiat (intercedunt enim in utroque versus omnino triginta & quingenti); cumque in superioribus intervallis a 270. ad 300. atque a 300. ad 320. nihil ferme discrepet: minime credibile est, a verbis *Cujus fuit initium &c.* hoc est, ab ipso versu 320. ad verba *Seplasia mehercule &c.* adeo breves, & rursum deinde a verbis ipsis *Seplasia mehercule &c.* ad illa *De me cum omnes &c.* adeo longos Asconianos versus fuisse, ut primum illud intervallum octo versibus longius, alterum septem versibus brevius, quam similia Patavini codicis intervalla, evaderet. Quod si, ejecto 620, numerum 610. veluti postliminio revocaverimus, tunc rursus inter se consentire utriusque codicis intervalla reperientur, minimoque discrimine sibi invicem respondere.

Aliquanto plus operæ ponendum est in emendandis secundi paradigmatis quattuor numeris: nempe 120. 660. 820. 800. quos in 110. 650. 720. 820. mutandos esse contendo. De singulis videamus.

Si in illo 120. nihil inesset mendæ, tunc a verbis *L. Opimius ejectus &c.* ad verba *Ecquid vides &c.* in Asconiano codice versus triginta intercessissent, cum non nisi duo & vigin-

viginti in Patavino intercedant: rursumque a verbis iisdem *Ecquid vides &c.* ad superiora illa *Quod populari &c.* novem versibus Patavino brevior Asconianus codex fuisset. Quonam modo centum & decem versuum intervallo (tantum est enim a verbis *L. Opimius ejectus &c.* ad illa *Quod populari &c.*) potuit hæc tanta utriusque codicis dissensio contingere, cum versuum 560. intervallo; hoc est, a verbis *Est quidam græcus &c.* ad extremam usque orationem tanta exsistat utriusque consensio, ut vix quaternario numero inter se discrepent? Omnia convenient, si ex illo 120. decadem sustulerimus: quod quidem corrigentes fecimus.

Venio nunc ad mendosum illum 660. a quo removeamus licebit denarium item numerum, faciamusque sane 650. ut Patavini codicis versui 648. prope respondeat. Et profecto quanam ratione fieri potuit, ut, cum intervallo, quemadmodum vidimus, versuum 560. non nisi quattuor versibus Patavino auctior Asconianus codex exstiterit, nunc idem, non nisi centum utrique additis, duodecim versibus auctior evaserit?

Mendosum etiam esse tertium illum Asconianum numerum 820. plane perspicuum est. Nam, cum hactenus sibi omnia in utroque codice ita constiterint, ut, etiamsi eos numeros, quos mendosos esse deprehendimus, fuisse sine menda putarimus, tamen inter utriusque codicis versus maximum discrimen sit versuum non amplius duodecim: tanta repente varietas, ut, qui versus est in Patavino codice a novissimo 717. is fuerit in

in Asconiano a novissimo 820. induci non videtur potuisse.

Sed quid adhuc de perspicua illius numeri menda dubitamus? Nonne is numerus 820. inscriptus est illis verbis *O. stultos Camillos &c.* quæ sunt propius finem orationis; cum illis *Me consequentibus &c,* quæ longius ab eodem fine absunt, inscriptum sit *Circa versum a novissimo* 800.? Omnino sive librarii sive typographi centenarium de suo hic addiderunt, & ex DCCXX. fecere DCCCXX. quod facere est adeo facile, ut mihi quoque, hæc modo scribenti, alter pro altero numerus calamo exciderit. Refingamus ergo nos illum numerum 820. in 720. & tum, qui versus est in Patavino codice a novissimo 717. is in Asconiano fuisse a novissimo 720, revocatá concordia, reperietur.

Superest emendandus primus ille ejusdem paradigmatis secundi numerus DCCC. Atque hactenus quidem, in emendandis reliquis, aliquid, vel a librariis vel a typographis additum, detraximus: at hic est aliquid, ab iisdem omissum, omnino addendum: & ille numerus DCCCXX. quem illi proxime commenti fuerant, huc est revocandus. Certe illa verba *O stultos Camillos &c.* (quæ in Asconii manuscripto codice pertinuisse ad versum 720. vidimus) ad hæc *Me consequentibus &c.* (siquidem hæc ad versum 800. pertinerent) versuum octoginta intervallo distare debuissent: quæ tamen in Patavino sex & centum versibus distant. Unde autem Patavino codici, in reliquis cum Asco-

Asconiano tam concordi, subito sex & viginti versus, qui ab Asconiano abessent, accedere potuerunt? Addamus igitur Asconiano viginti. Tum eadem verba illa *O stultos Camillos &c.* a superioribus *Me consequentibus &c.* centum, hoc est, sex minus quam in Patavino, versibus aberunt: quod sane est tolerabile. Neque tamen, si etiam facere omnia paria in utroque codice voluerimus, quidquam vetat, illis octo centenariis non viginti, sed sedecim monadas addi, fierique integrum numerum non DCCCXX., sed DCCCXVI. etsi Asconius numeros, qui sunt infra denarium, non solitus est adhibere.

Sustulimus, nec sine ratione, ut opinor, eas mendas, quæ in quinque Asconianarum tredecim inscriptionum numeros irrepserant. Quod si emendatis codicibus uti potuissem, non dubito, quin corrigendi hoc labore omni supersedissem. Equidem multa Asconii vulgata exemplaria consului; sed, quod ad inscriptos numeros pertinet, æque mendosa (*a*). Nam, cum homines etiam docti

(*a*) Manuscriptis etiam exemplaribus eadem, quæ vulgatis, illorum quinque numerorum perversitas hæret. Qua ratione id acciderit, non est difficile suspicari. Poggius in eadem illa epistola ad Guarinum Veronensem data, de qua in superiore adnotatione egimus, non solum a se repertos Asconii hos commentarios, sed etiam *transcriptos, & quidem velociter*, fuisse testificatur, quos ad Leonardum Arretinum, & Nico-

docti nihil ad rem pertinere arbitrarentur, quotos Asconius quosque Tulliani, quo usus ipse fuerat, codicis versus dixisset, omnis est ab iis in hoc genere librariis atque typographis peccandi licentia atque impunitas data.

Nicolaum Florentinum Constantia quamcelerrime in Etruriam mitteret. Ea fortasse *transcribendi velocitas* fecit, ut aliqua (& sunt certe in his commentariis multa perperam mendoseque scripta) ac præsertim hos ipsos numeros minus ille accurate emendateque scripserit. ex Poggii autem apographo illo, in Etruriam allato, omnia, quotquot manu scripta habemus, Asconii exempla descripta olim fuisse credibile est: ut necesse fuerit, quæcumque menda in illud forte irrepsissent, reliquis, ex eo propagatis, adhærere. Ejusmodi exempla Florentiæ in bibliotheca Mediceo-laurentiana exstant omnino quinque. eorum uni, quod in pluteo LIV. adservatur, numero 5. extra notatum, adscriptum in calce monumentum hoc legitur: *Finis argumentorum quarundam orationum Ciceronis, eorum, quæ invenimus in monasterio S. Galli: quæ licet imperfecta & in compluribus locis corrupta esse videantur, non mediocrem tamen bene studentibus poterunt utilitatem afferre. Die 25. Julii MCCCCXVI. B. de Montepoliciana.* Minime dubitandum est, quin illo *B.* significetur Bartholomæus Politianus, ille, qui Martini V. Pont. Max. fuit ab epistolis, quique cum Poggio, in eodem munere collega suo, Constantiam profectus

data. Qua in re certe illos ratio vehementer fefellit. Ut enim in rerum natura ex iis, quæ sunt ante omnium oculos posita, quæque vulgo neglecta prætereuntur, si quis sit paullo ingeniosior atque sagacior, mentisque aciem

---

fectus Asconii commentarios illos cum plurimis antiquis codicibus in monasterio S. Galli & ipse reperit. ex allato autem monumento intelligimus, ipsum sibi Bartholomæum eosdem commentarios sive ex antiquo codice, sive ex Poggii exemplo descripsisse seu describendos curasse: ex quo Bartholomæi exemplo, non modo ex illo Poggii, potuerunt etiam reliqua propagari. sed, cum ipsemet de illorum *imperfectione & in compluribus locis corruptione* testificetur, possumus numerorum illa menda Constantiensis exemplaris vitio potius, quam aut Poggii, aut alterius, in eo describendo, festinationi aut negligentiæ assignare. quod quidem si vitiosum in illis numeris fuit, frustra eos corrigere, codicum, qui omnes ex illo primo, tamquam fonte, fluxerunt, ope conemur: sed necessario ad aliam corrigendorum rationem, hoc est ad probabiles conjecturas, confugiendum est. Hæc eo, in hac Romana hujus epistolæ editione, adscribenda fuerunt, quod nonnulli, qui Venetam anni 1734. viderant, horum ipsorum, quæ dicta sunt, ignoratione, mirati sunt, totum hoc de corrigendis Asconianis numeris negotium ingenio dumtaxat ac conjecturis, nulla codicum manuscriptorum fide aut auctoritate advocata, fuisse actum atque transactum.

aciem intendat, causasque eorum omnes & consequutiones diligenter inquirat, mira sæpe quædam & sive constituendis sive amplificandis artibus atque doctrinis perutilia deprehendit: sic in antiquis litterarum monumentis nihil debet adeo leve videri, quo non aliquid ab aliquo litteris ipsis accommodatum possit extundi.

Utriusque codicis consensione ejusmodi demonstrata, ut inter versuum centenaria ferme tredecim vix unius & alterius versus discrimen intercedat: tandem id, quod priore loco proposuimus, evidenter ostendamus: nempe ab initio Pisonianæ tantum periisse, quantum ferme est ex illis verbis *Quid centuriatus palam venditos &c.* (quibus verbis caput 88. hujus orationis inchoatur) ad extremam ipsam orationem: hoc est, versus Patavinæ editionis sedecim supra ducentos.

In verbis illis *Ego in C. Rabirio &c.* constituit Asconius totius orationis versum a primo ducentesimum septuagesimum. Is versus in Patavina editione anni 1730. (quam eadem, qua Asconianum codicem, versuum longitudine sive mensura constare docuimus) est ejusdem orationis, non integræ, qualem Asconius habuit, sed, qualis ad nos pervenit, mutilæ, non nisi quinquagesimus quartus. Periit igitur ex orationis initio tantum versuum, quantum est a 54. ad 270. Est autem ea summa ducentorum & sedecim versuum. Ducenti igitur & sedecim versus ex orationis in Pisonem initio perierunt.

Pergamus porro ad reliqua, quæ proposuimus, demonstranda, nempe, deesse etiam

etiam aliquid ex media circiter hac oratione; idque tantum ferme esse, quantum est ex illis verbis capitis 89. *Quod populari illi sacerdoti &c.* ad eamdem extremam orationem, hoc est, versus centum nonaginta novem.

Orationis totius medium fuit in illis verbis capitis 38. *Appellatus est hic Vulturius &c.* quibus inscripsit Asconius *Circa medium*. Ab iis ad orationis finem sunt in codice Patavino versus duo & quinquaginta supra mille. Totidem autem ab iisdem verbis ad orationis initium esse debuerunt. At, si rationem omnium, qui nunc quidem exstant, inire voluerimus, ab iis verbis *Appellatus est &c.* ad illa, quæ nobis prima sunt, *Jamne vides, bellua &c.* non nisi sexcentos triginta septem superesse reperiemus. Igitur, ex superiore dimidia oratione quadringentos & quindecim periisse versus, perspicuum est. Ex hac tota amissorum versuum summa subductis ducentis illis ac sedecim (quos ex ipso initio intercidisse supra ostensum est), reliqui fient, qui præterea perierint, centum nonaginta novem. Hi quo ex loco absint, quærendum est.

Verba illa *Appellatus est &c.* (in quibus orationis medium ab Asconio constitutum est) quantum a versu octingentesimo a novissimo (in quo versu sunt illa *Sed Placentini municipii &c.* cap.53.) distabant, tantumdem a versu octingentesimo a primo (in quo sunt illa *De me cum omnes &c.* cap.35.) distare debuerunt. Nunc autem ab illis *Sed Placentini municipii &c.* ducentis & quinquaginta versibus distant: ab his vero

De

De me cum omnes &c. tribus modo & quinquaginta. Ergo hoc ipso intervallo (nempe a verbis *Appellatus est &c.* in quibus medium orationis fuit, ad superiora verba *De me cum omnes &c.* centum nonaginta & septem versuum facta jactura est: quæ quidem summa nostris illis 199. quos, præter deperditos ex initio orationis 216. versus, ex superiore dimidia oratione periisse docuimus, minima sane, hoc est duorum versuum, varietate respondet. quæ ipsa varietas fortasse nulla intercederet, si certum orationis medium nobis Asconius indicasset; qui tantummodo *Circa medium* verbis illis *Appellatus est hic vulturius &c.* inscripsit.

Quod autem tantumdem prope versuum ex hoc loco, quantum ex initio orationis intercidit, qua tandem id ratione acciderit, libitum mihi est etiam inquirere, neque non assequi ac tenere visus sum. Non enim dubitandum est, quin omnes orationis hujus codices, qui ad nos pervenerunt, ex uno aliquo exemplari, ita, ut nostri codices sunt, mutilo, descripti fluxerint. Mutilatio autem illius illa qui contigit? Sic, opinor. Prima ejus, &, si vis, etiam secunda ac tertia, pro voluminis modo, pagella, qua orationis principium illud ducentorum amplius versuum continebatur, a reliquis casu aliquo, ut fit, avulsa exciderat atque perierat. ea res similem in altera orationis parte versuum jacturam aliquanto post attulit. ita enim ii libelli, ex quibus volumina conficiuntur, ab antiquissimis temporibus construi consarcinarique consueverunt, ut binæ

aut

aut ternæ aut quaternæ paginæ, æquis utrimque spatiis complicatæ, atque aliæ aliis deinceps insertæ (quas, non satis latino quidem, sed usitato ac certe satis intellecto vocabulo, sive duerniones, sive terniones, sive quaterniones vocant), a tergo, qua parte omnium plicatura incidit, trajecto filo consuantur. Jam, si prima ejusmodi alicujus libelli pagina, si secunda, si tertia abscindatur, tum eodem casu ultimam, penultimam, reliquasque prioribus quibusque abscissis respondentes, ex posteriore ejusdem libelli parte item abscindi necesse est. abscindi autem a libris paginas, easdemque brevi tempore haud amplius apparere, ac dispetire, prope unum atque idem esse, quotidie experimur. Credibile est igitur, abscissis ac deperditis in antiquo illo exemplari, unde orta exempla nostra ac propagata sunt, primis paginis, ultimas item unius & ejusdem libelli paginas, mediis manentibus, eodem illo casu intercidisse: ut propterea æquam prope partem orationis posterior hæc jactura, ac principii illa prior abstulerit.

Neque vero movere quemquam debet, quod versuum aliquanto minor numerus ab hoc orationis medio, quam ab initio perierit. Non enim necesse est, pari paginarum numero parem versuum utrimque numerum confici; quos, pro majore aut minore tum ipsorum inter se, tum litterarum ac dictionum alterius ab altera intervallo, plures aut pauciores, pari paginarum mensura ac numero, fieri ac numerari intelligimus. Quid, quod repetuntur sæpe eadem a librariis

riis atque iterantur, aut etiam aliunde translata, atque aliena per errorem inculcantur? quibus rebus versuum quidem numerus augetur, & cum aliarum paginarum versibus adæquatur; at, rejectis deinde atque expunctis supervacaneis illis, non nisi necessarii atque legitimi computantur; ut, cum plures revera fuerint, pauciores tamen numerentur. Non igitur, si quid forte tale, aut ejusmodi aliquid (quod certe potuit accidere) in harum, de quibus agimus, posteriorum paginarum aliqua commissum olim a librario est, æqualem in iis, ac non aliquanto minorem, quam in totidem superioribus fuit, versuum numerum exigere ac flagitare debemus.

Habes, mi Facciolate, inventorum meorum prope mathematicam, ut mihi quidem videtur, demonstrationem: quam ego si non multorum dierum labore atque molestia stetisse mihi dixero, mentiar. verum iis nunc ita delector ac perfruor, quasi Circuli illam, quam vocant, quadraturam, a tam multis, a meque ipso olim tentatam, reperissem. ut enim fuerit in tenui re labor: at præclarum est atque jucundum, ea, quæ doctissimi homines indemonstrabilia (licetne mihi per te Apulejano verbo semel uti?) esse judicabant, tam certa ratione demonstrasse.

Quid, quod sua etiam constat, neque ea mediocris inventis meis utilitas? posthac enim Ciceronis studiosi ubi ad illa Pisonianæ verba cap. 38. venerint: *Quas res gessisti in imperio, exercitu, provincia consulari? Quas res gesserit, quæro? Qui ut venit statim nondum commemoro rapinas &c.* non hærebunt, ne-

neque quo illa *Qui ut venit statim* referantur, quoque sint denique progressura, frustra quærent. interpretes vero non, ut hactenus fecerunt, aut loci difficultatem dissimulabunt, aut miras quasdam longissimeque petitas ac plane incredibiles commentationes suas ad ejus pravitatem corrigendam afferent: sed, cum illa verba in eam orationis partem commodum incidere intellexerint, a qua tantum versuum abesse docuimus, supervacaneo labori parcent, ingeniis suis non abutentur, ibique orationis lacunam esse confitebuntur (*a*). Equidem volo, typographo isti tuo mandes, ut, cum Pisonianam una cum

(*a*) Hanc hujus loci lacunam sic Cl. V. Josepho Oliveto probavit hujus auctor epistolæ, ut is in magnifica illa sua omnium Ciceronis operum Parisina editione, anno 1740. inchoata, & 1742. absoluta, deficientis orationis notam inter voces *statim* & *Nondum* apposuerit, & hæc præterea in sua ad hunc eumdem locum adnotatione admonuerit: *Vult autem Hieronymus Lagomarsinus, hic lacunam esse, ac prope mathematica ratione demonstrare aggreditur. Vide illius ad Jacobum Facciolatum epistolam, qua, quid in M. Tullii Ciceronis contra L. Pisonem oratione interciderit, demonstratur.* Atque idem clarissimus vir in præfatione primi Orationum tomi, qui universi operis quartus est, commemorata Jacobi Facciolati & M. Antonii Ferratii egregia in Ciceronis orationibus illustrandis opera, qua multum se in commen-

cum doctorum & meis, indocti sane hominis, enarrationibus edet, atque ad eum ipsum locum perveniet, post verba *Qui ut venit, statim*, lectores moneat, *Multa de Pisonis in primo suo in Macedoniam adventu flagitiis desidе-*

mentariis suis perficiendis ad jutum ingenue ac grate confitetur, de Lagomarsinii etiam in eodem genere industria polliceri sibi ac cæteris aliquid, immo vero plurimum, pro sua humanitate voluit. ait enim: *Plura item, nec dubito, præbuisset Hieronymi Lagomarsini... diligens industria; qui, dum hæc Parisiis molior, ipse Venetiis has ipsas orationes edit* (id est, edere cogitat) *cum veteribus ducentis codicibus, ut fama est, collatas ac recognitas. Quod unum licebit, si ante Veneti tomi ad nos commeent, quam ultimus meus officinam reliquerit, in hunc mantissa, ex illis collecta, conferetur. Italiæ gratulemur interim, bonarum artium parenti, quod egregiorum hominum, quos ipsa peperit, studiis æterna sit Latinæ facundiæ in majorum suorum ac suis sedibus propagatio*. Valde quidem Lagomarsinius optaret, esse se talem, cui hæc jure ac merito, non officii atque urbanitatis causa tribuerentur. Sed certe, quod ad Ciceronis non modo orationes, sed reliqua etiam opera pertinet, non voluntas illi eorum cum suis commentariis edendorum, sed facultas adhuc atque commoditas defuit. Alia scriptionis est ratio, alia editionis. studio, opera, diligentia scribuntur edenda: sed aliis quibusdam adjumentis, quæ scripta sunt,

ſiderari. Sed quando illa edet? Nempe cum ego reliqua abſolvero, ad teque miſero. mittam autem, quemadmodum quidem ſpero, quæ ad volumen primum pertinebunt, venturo autumno omnia. Nimis, inquies, ſero. Quid faciam? mihi in aurem inſuſurrari illud dies noctesque ſentio σπεῦδε βραδέως: eique præcepto, tamquam Apollinis oraculo, eſſe mihi obtemperandum puto. Qua quidem in re habeo te auctorem ac ducem; a quo Ale-

---

ſunt, eduntur. Ac ſolet is de Cicerone ſuo ex ſe quærentibus, ecquando tandem tam pridem ac tam ſæpe oſtenſum atque promiſſum editurus ſit, duobus verſiculis reſpondere, altero Martialis hexametro, altero pentametro ſuo,

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones:
Sit mihi Mæcenas, non deerit Cicero.

Verum hæc adhuc ſurdis, ut ajunt, cecinit. Ait præterea, eruditis ſtudia ſua ſe debere; eaque ad diem, immo in dies ſingulos perſolvere religioſe ſolere: pecuniam vero, quæ ad ſtudiorum ſuorum fructum, cum iiſdem eruditis communicandum, neceſſaria eſt, nec a quoquam mutuam accepiſſe, nec propterea cuiquam ſe debere. Non igitur, inquit, Ciceronis noſtri editionem (quod quidam, ſtudio noſtro, in eam apparandam impenſo, nequaquam contenti, prope quotidiano, odioſo certe atque moleſto efflagitatu faciunt) repetere a nobis quiſquam atque exigere, tamquam debitam, debet; qui, quod debuimus, ſolvimus, quod non ſolvimus, non debemus.

Alexander Bandiera noster, qui nuper istinc ad nos venit, mihi narravit, Glossarii illius, quod jamdiu in manibus habes, non magnam sane partem esse perfectam. quod opus, sane laboriosum ac prope immensum, utinam tibi bonus Deus tantum ætatis viriumque tribuat, ut ingenti litterarum latinarum bono possis absolvere. namque errant, qui humanorum hominum studiis consuli plus & orationibus & poematis scribendis putant. satis est veterum orationum atque poematum, si quis modo aureos illos Græcorum ac Latinorum libros pervolutare velit: recentium vero plus etiam, quam est fortasse satis. illa, illa, inquam, est studiorum pars adhuc inchoata, & absolutionem perfectionemque suam desiderat, qua homines ad ipsos auctores veteres cognoscendos intelligendosque adjuvantur. quam qui opem ingenio atque industria sua pro virili portione mortalibus tulerit, næ is hac una opera multo melius, quam sexcentis orationum ac poematum voluminibus, de universo hominum studiosorum genere merebitur. quamobrem incumbe in eam rem unam, quod facis, sedulo atque constanter: meque, prodesse hominibus in simili genere conantem, patere paullo serius, modo utilius, inchoata mea perficere. Vale, mi Facciolate, meque tui amantissimum amare perge. Florentiæ XVIII. Kalendas Decembres MDCCXXXIII.

FINIS.





